

20.352





Foll. 20,352

83

EX AMOENISSIMO

ARISTOTELIS PHILOSOPHIAE

EXCERPTUM QUINQUEMURIMI, SEU

QUINQUEMURIMI

SUB AUSPICIS VENERABILIS SENATUS ALONINENSIS

D. JOANNES HANFEL, ET GARCIA

R. P. L. ANTONINO PASCHALI

CALVER, SACRI PALACII BIBLIOTHECAE  
Magistro, Proceptor, Sacri Palacii



CIRCUM PARABIT

SACRA SS. ROSARI EJUDEM CONVENTUS ETIEN

Das mensis

-----

-----



# EX AMOENISSIMO

ARISTOTELICÆ PHILOSOPHIÆ

VIRIDARIO

EXCERPTI FLORES QUAMPLURIMI, SEU

Peripatetici Systematis Placita illustriora,

AD LYDIUM ANGELICUM AQUINATIS LAPIDEM

PROBATA,

*Q V Æ*

SUB AUSPICIIS PERILLUSTRIS SENATUS ALONENSIS

IN PUBLICUM EXPONIT AGONEM


**D. JOANNES BARBER, ET GARCIA.**

*DEXTERAM EI PORRIGENTE*

**R. P. L. ANTONINO PASCHALI**

GALVER, SACRI ORDINIS PRÆDIC. PHILOSOPHIÆ

Magistro, Professore, Sacræ Theol. Doctore.



CIRCUM PARABIT

SACRA SS. ROSARII EJUSDEM CIVITATIS ÆDES.

Dies

mensis


Ann.Dom. c10ccclxvi.



VALENTIÆ HEDETANORUM: Typographiâ Benedicti Monfort. Ann. 1766.

*Solus Aristoteles abunde sat est, ut sit homo in philo-  
sophiæ tribus omnino partibus eruditus. Sanè ne quis  
causetur misero seculo Aristotelem Theologis.... pla-  
cuisse, sciat is quicumque est, tandem Scholam Ari-  
stotelicam Alexandria tum etiam vigere solitam, cum  
ibi Doctores Apostolici vigerent plurimum. Canus  
Loc. Theol. lib. 10. cap. 5.*









URBIS ALONENSIS SENATUI  
PERILLUSTRI,  
ÆQUITATE, PRUDENTIA CONSILIO,  
LEGIBUS PATRIIS PATRIAM TUENTI.

*EX PATRIBUS CONSCRIPTIS.*

EXCELLENTISSIMO D. D. JO-  
sepho Joanne Ladron de Guevara Comar-  
cho Imperatorio Militari: Serenissimi  
Infantis D. D. Ludovici Borbonii OEco-  
nomo Hebdomadario: Urbis, & Arcis  
Alonensis Governatore: Prætor Urbanus:  
Vestigalium, cæterorumque ad Re-  
gium Ærarium provenientium proven-  
tuum integerrimo Subdelegato Quæstore,  
&c.

D. Francisco Borgonyo Ruis de Rocamora Tribuno Militari honorario Hispanicæ Cohorti Cordubensi subrogato: Decano Senatore.

D. Ludovico Rotlà Canicia & Doria ex Regio Equestri Ordine B. Mariæ Montefiæ, ac S. Georgii de Alfama stemmate insignito.

D. Paulo Salafranca, & Pasqual de Bonanza.

D.

D. Joanni Chryſoſtomo Forner , olim  
Paſqual del Povil , & Rovira.

D. Eſtephano Rovira , Torres , & Min-  
got.

D. Franciſco Arques , & Sanches.

D. Joſepho Caturla , & Jordan Catholi-  
cæ Fidei Tribunalis Murciensis Miniſtro  
Familiari , Regiorum Conſiliorum Patro-  
no , & Senatus Conſiftoriano.


D. Joſepho Alcaras , & Tredòs perpe-  
tuis Urbis Rectoribus.

D. Nicolao Prò , olim Baiona , Senatus  
à Secretis.

Ad Vos ergo , P. C. Schola hæc Thomiſtica Alonenſis cum  
ſuis Peripateticis Theſibus ad Angelici Magiſtri D. Thomæ  
mentem , veſtro Patrocinio fultis , non aliſ quidem corporis,  
ſed cordis , non ad manus , non ad menſam ( non enim ex  
noſtra , ſed ex D. Thomæ mente meriti quid habent ) ſed ad  
ſuppeditanea veſtra munuſculum hoc tantillum convolat obla-  
tura ; ut ex veſtro munifico penore aliquid , non modo ju-  
ſti fœnoris , ut benefici veſtri moris eſt , gratiæ , præſidii , ho-  
noris item ſibi mutuetur. Ita ex veſtra Magnificentia , Æqui-  
tate , Prudentia , cæteriſque dotibus veſtris jam , S. C. veſtro,  
ſpectat , dum Clientulus veſter , noſter aſſecla præparat Um-  
bonem , Loricam , cæteraque munimina ad adverſantium  
Litteraria Spicula refellenda , aut ſaltem ſuſtinenda , ſe in ſta-  
dio munitum , munimine potius veſtro , quam ſuo , ad agonem  
præbet , unde Lauream , cæteraque inſignia triumphalia , ve-  
ſtro nomine digna , reportet , triumphare

D. JOANNES BARBER , ET GARCIA.

DIS-



# DISSERTATIO PRIMA PRÆLIMINARIS.

## NOMEN, NATURA, ATQUE ORIGO *Philosophiæ.*

### §. I.



Perpetuam de Philosophicis orationem habiturus, ab ipso Philosophiæ nomine exordium sumere reor. Atque illud ex duplici græca voce compositum adsero; quarum una amorem, alia sapientiam significat: ut nihil proinde aliud sit Philosophia, si interpretari velis, quam *studium, & amor sapientiæ*. Neque aliud certè sensisse videtur egregium illud sapientiæ lumen Pythagoras, qui primus *Philosophi* nomen invenit. (1) Is enim, cum ad Olympicos Græciæ ludos, quo universa ferè Græcia de more convenerat, descendisset, (2) vel ut alii referunt, (3) cum Phliuntem Arcadiæ urbem venisset, copiosèque plurima coram Leonte Phliasiorum Tyranno de humanis, divinisque rebus incredibili hominum plausu, & admiratione differuisset, rogatus, an sapiens esset? Respondisse fertur (ut soli Deo sapientis nomen adjudicaret) *sum Philosophus*, hoc est, Amatorem sapientiæ. (4) Quod nomen adeo posteris placuit; ut cum antea dignissimis nomenclaturis, quicumque in arte quadam excellerent, de-

A

co-

(1) Quintil. XII. c. I.

(2) Valer. Max. VIII. c. 7.



(3) Laer. VIII. c. 8.

(4) Plato in Phædro.

2. 101  
corarentur, omnes deinde novo, modestiorique nomine *Philosophi* vocari maluerint. Mutavit ergo *Philosophia* nomen, naturam tamen sapientiae non exuit, secundum quam à Veteribus cum Tullio definita est: *Rerum humanarum, Divinarum, causarumque, quibus haec res continentur, scientia.* (1) Estò autem nomen à Pythagora mutuasset *Philosophia*, longè tamen antiquior est, quam ut illius origo sive Pythagoræ, sive Græciæ Philosophis tribuatur. Solus Adam primus Philosophus censendus est; quum Deus O. M. ipsi, tamquam humani generis capiti omnem scientiam infudit. (2) En ergo à quo ortum duxit *Philosophia*.

## PHILOSOPHIÆ PROGRESSUS.

### §. II.

Quamquam perquam certum sit, Deum Adæ Philosophiam infudisse, ut perfectus in illo foret cognitione rerum intellectus, simulque honestate morum voluntas, vix diffiniri potest qua serie post primi Parentis peccatum, offusamque menti nostræ caliginem, quibusque incrementis Philosophiæ studium adoleverit. Solum ex Josepho habemus, (3) à posteris Adami scientiarum principia duabus columis fuisse consignata; quarum ruinas suo tempore adhuc superstites fuisse testatur; at, quid illis contineretur, nullus refert. Credibile est studium illud à Patribus in nepotes hæreditarium, veluti munus, ubique transmissum ad usque diluvii tempora floruisse; concedique facile poterit, Adamum ipsum plurima posteros docuisse, quæ vel à Deo didicerat, vel propriis ipse studiis, & observationibus deprehenderat. Quocumque tamen ex fonte ex Adæ posteris *Philosophia* in exteras gentes manaverit, illud unum pro comperto habemus, adeo brevi in universum hominum genus transiisse, ut nulla propemodum regio tam effera, incultaque fuerit, in qua plures sapientia clari non extiterint, rerum naturalium cognitione insignes, morumque honestate celebres. Sic apud Persas Magi: (4) apud Hebræos Rabbini: apud Indos Gymnosophistæ: (5) apud Gallos Druidæ: (6) apud Sinas Confusius, Sinensis Philosophus adpellatus. Sed quæ fuerint apud eas nationes in *Philosophia* Sectæ? Admodum obscurum est. Ab illis migravit ad Græcos, è queis tanta profluit Sectarum multitudo, ut si eas omnes exponerem, non codicem sed volumen formarem. Quare, ut paucis rem expediam.

VE-

(1) Cic. Offic. I. cap. 43.

(2) D. Thom. I. p. q. 94. a. 4.

(3) Lib. I. Antiquit. cap. 3.

(4) Laer. & Dion. Orat. 49.

(5) Strabo 15.

(6) Plin. 30. cap. 1.

VETERUM PHILOSOPHORUM SEC<sup>3</sup>  
tarum nomina, Patronos, ortus, propagatio-  
nem, incrementa, aliaque quamplurima erudi-  
tionis causa præsto sum, si libet,  
aperire.

## PERIPATETICORUM SCHOLA.

### §. III.

**A**ristoteles natione Macedo, patria Stagirites, corporis forma mi-  
nime insignis, ingenio supra hominem sublimi, Platonis discipu-  
lus, Alexandri Magni Magister, Athenas profectus, Lycæum aperuit, se-  
ctamque peripateticam, seu à loco, qui *deambulatorium* dicebatur, seu  
quod deambulando doceret, ita nuncupatam, instituit. Olim à Patribus  
Ecclesiæ, præcipuè Justino Martyre, & Gregorio Magno summis odiis  
exagitatus est, veluti præcipuus Fidei hostis, ac de Divinis malè sentiens.  
Verum enim verò à D. Thoma purgatus, illustratus, & ut aliquis loqui-  
tur, penè baptizatus; tanto interpreti debet, quod pluribus ab hinc se-  
culis apud majoris nominis Philosophos ejus doctrina potissimum in ho-  
nore habita sit. Sed ut suum cuique seculo genium est, quasque sidus,  
ita nostrum hoc ubertate, atque indole sua tales Philosophos tulit, qui  
novitatis amore allecti, mirum est, quanta malignati sunt in Aristotelem,  
ipsiusque systema peripateticum. Hujus Philosophi à tot temporibus reg-  
nantis placita fidenter damnant, despectui, ac ludibrio habent, ejus se-  
ctatoribus invidiam conflant, figuntque maledictis; & quod pejus est,  
suam censoriam virgam ultra longeque tendentes, cœcum autumant  
in naturæ arcanis exponendis, hallucinatum in rerum principiis à se ad-  
inventis. Sed si isti de Aristotelicis tanta, ac talia vociferantes, systema  
nobis proponerent, quo arcana naturæ, rerumque principia clariora fie-  
rent; jure merito conclamarent. Sed proh dolor! Dum Aristotelem in-  
juriarum verberibus affectum è medio tolere nituntur, Epicuri, De-  
mocriti, Cartesii sectas in lucem produnt, Philosophiam sane æque dif-  
ficilem, ne dicam difficiliorem. Adlatrent igitur. Clament. Quid inde?  
Viri sanctissimi, insignes Academiae, religiosæ familiarum post tempora D.  
Thomæ Aristoteli sese addixere. Quid plura? Et hoc nostro ævo Peripa-  
teticum in Scholis regnant. Quis pellet? In tres præcipue sectas, vel si ma-  
vis Scholas Peripatetica divisa fuit, Thomistarum, Scotistarum, ac No-  
minalium. Hi sunt rivuli ex Aristotelico fonte manantes, orbemque lite-  
rarium ad hæc usque tempora feliciter irrigantes. Prima nomen accepit  
à S. Thoma Aquinate, Doctore Angelico ob vitæ, & doctrinæ puritatem  
adpellato, Ordinis Prædicatorum Sole radiante, decore illustrissimo, no-  
stræ-

4  
stræque Scholæ Principe excelso. Secunda à Joanne *Duns Scoto* Ord. F.F. Minorum viro clarissimo, in Philosophia, ac Theologia perillustri, Doctoris Subtilis jure merito nomine condecorato. Tertia à Guillelmo Okamo, gente Anglo, Scoti Discipulo, in Aristotelica Philosophia excellenti *Doctōris invencibilis* laude insignito; qui subtilitates & argutias nominalium. jam penè obsoletas, & emortuas excitavit. Sed de Philosophorum sectis satis, abundeque dictum.

## ELECTIO MAGISTRI.

### §. IV.

**A**bs dubio tot inter sectas Philosopho necessarium est unicum Magistrum deligere, cujus doctrinam in turbulento variarum opinionum mari pro nautico fidere prospiciat, cujusque principia constanter teneat, ut se à difficultatum labyrintho facilius possit expedire. Ut enim Navis in mari, si variis, & inter se pugnantibus ventis se permittat, non progreditur, sed periclitatur, ut stomachum cibi contrarii haud adjuvant, sed gravant: ut canis plures insequens lepores, nullum adsequitur; ita ingenium principum diversorum mixtura non instruitur, sed potius confunditur, obruitur, obtenebratur, dumque pluribus Magistris adheret, nullius ad doctrinam attingit. *Cor enim ingrediens duas vias non habebit successus.* (1) Sed quis eligendus est? Eligat unusquisque suum. Audiant Thomistæ Urbanum V. qui ait; (2) *Volumus insuper, & tenore presentium vobis injungimus, ut B. Thomæ doctrinam, tamquam veridicam, & catholicam sectemini; eamque studeatis totis viribus ampliare.* Quid amplius? Benedictus XIV. loquens de D. Thomæ discipulis, inquit: (3) *Qui tam eximio uti solent, ac gloriari Magistro (quos magno numero esse pro singulari nostro erga ipsum cultu, studioque gaudemus) &c.* Hæc ille P. S. quo per plura sæcula non sedit eruditior alter. Plus ultra. Paulus V. vocat D. Thomam (4) *Splendidissimum Catholica Fidei Athletam, cujus scriptorum clypeo militans Ecclesia hæreticorum tela feliciter elidit.* Sed jam moram traho. Dominus ejus auctoritatem tuetur; tuentur & Ecclesiæ Principes. Turris quippe David est, & mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium. Hunc Universitatum innumera veneranda caterva, Religiosorum contra Ecclesiæ hostes invicta phalanx Protomagistrum agnoscunt. Hunc Schola nostra, ut Parentem amantissimum, Ducem strenuissimum, lucem splendidissimum, Magistrum clarissimum submisse veneratur, humiliter audit, fideliter sequitur, alacriter amplexatur.

EX-

(1) Eccles. III.

(2) In decreto ad Acad. Tolos.

(3) In Bulla quæ incipit: *Solicita*

(4) dat. an. 1753. 7. idus Julii.

(4) Apud Goudin tom. I. pag. 15.

# EXISTENTIA, CAUSÆQUE<sup>5</sup> Philosophiæ.

§. V.

**N**ULLI Philosophorum iudicio meo infeliciores Pyrrhonistis, qui de veritate invenienda desperantes, scientiam omnem sustulerunt, eamque mortalium oculis prorsus ereptam autumarunt. Quemadmodum enim fieri non potest, ut apertis oculis lucem & objecta corpora haud videamus; ita cœlestis illa, ac divina propemodum vis, & facultas, qua natura ipsa ad veritatem contemplandam impellimur, veritatem ipsam, vel scientiam nobis, vel invitis ostendit; ut nullus proinde fuerit, cui sapius ille veritatis fulgor non affulserit. Heinc contra omnem *Scepticorum* catervam scientiarum existentiam probaturus, Philosophiam existere contendo; intellectumque nostrum certam ac evidentem rerum cognitionem obtinere posse. Hæc est Philosophiæ notio, quæ aliis terminis vulgaribus exprimitur sic: *Cognitio certa & evidens rerum per altiores causas naturali lumine parta.* Igitur si rerum principia, causasque ratiocinio Philosophus evolvere debet suo, dedecebit prorsus ipsum causas illiusmet facultatis ignorare. En ergo quam paucis illas expedio. Finis cui Philosophiæ est homo. Finis *cujus gratia* proximus est cognitio veritatis, & actio virtutis. *Remotus* Beatitudo naturalis. *Ultimus* Deus qui, quum sit fons, & principium, à quo creata omnis perfectio descendit, & Protoparens noster infusam habuit, ipsum esse causam effectricem inficiari, esset in meridie cæcutire.

# DIGNITAS, NECESSITAS, PARTI- tio Philosophiæ.

§. VI.

**J**AM nomine, natura, origine, existentia, cet. Philosophiæ delibatis, in ejus præstantiam, ac dignitatem flectitur sermo. Verum quis unquam esset finis futurus, si laudes omnes innumeras, quibus Philosophiam Sapientes omnes mirificè commendarunt, complecti vellemus? *Philosophiæ studium qui vituperat, haud sane intelligo quidnam sit, quod laudandum putet*, dixit Cic. (1) Sat erit encomia referre nonnulla, queis turba Sapientum decoravit illam. *Veritatis* adpellatur *scientia*, *artium ars*, *disciplinarum disciplina*, *inventrix legum*, *magistra morum*, *vite dux*, *virtutis indagatrix*, *expultrix vitiorum*, *vite cultura*, & *animi medicina*. Ergo habes, unde ipsius utilitati, haud quaquam refragari queas. Sive enim

B

con-

---

(1) Lib. II. de Offic. cap. 2. & Caton cap. 2.

6  
considereris ut homo, sive ut Reipublicæ membrum, sive ut Christianæ Religionis fidelis tibi perutilem esse Philosophiam, si audire digneris, monstrabo. In quatuor ejus partes, Logicam nempe, Physicam, Moralem, Metaphysicam divisa utramque hominis facultatem, intellectum, & voluntatem instruit, perficit, illuminat. Estò autem hæc celeberrima, & accurata partitio Scholarum omnium limen occupaverit, plena tamen Philosophia est, quæ constat ex duabus Physica, & Ethica (1) dixit Cicero. Quare, si qui has easdem divisionis partes in minorem redigant numerum, mihi haud animus est, super hac re cum quoquam digladiari. Hactenus de Philosophia in genere.

## LOGICA.

### LOGICÆ PROLEGOMENA.

#### §. VII.

**C**elebris illa facultas, quæ ad cæteras Philosophiæ partes, ac disciplinas ritè ac fideliter comparandas aditum præbet, ac veluti facem præfert, dicitur Logica; illa nimirum *Sapientia pars, quæ per omnes sapientia partes manat, ac funditur*; (2) mentemque ipsam in inquirendæ veritatis studio ita dirigit, ut absque præclaro ejusmodi facultatis lumine, veritas ipsa gravissimis circumfusa tenebris videatur. Hæc partim ex varia methodo, qua à variis Philosophis pertractari consueverat, partim etiam variis ex muneribus, quæ in disciplinis comparandis omnibus obire solet, varia quoque nomina obtinuit. Quemadmodum *Logica* ab Aristotele, Platone, Plutarcho vocatur, sic *Dialecticæ* nomen accepit à Laertio; (3) *veri, & falsi disceptatrix* à Cicerone, *disputatrix* à Quintiliano, *canonica* ab Epicureis, honorificentius denique à Peripateticis *organum, instrumentum, janua scientiarum* adpellatur. Ancilla igitur scientiarum est, sed sedem obtinet in earum choro; nam per certissimas procedit demonstrationes, verasque sui objecti demonstrat, proprietates. Si ejus definitionem quæras, est, *facultas præscribens intellectui modum indagandi veritatem*. Si divisionem nihil vulgatius, quam ipsam dividi in naturalem, & artificialem. Naturalis est illa cogitandi vis, quæ à Deo Authore naturæ mentibus nostris fuit indita. Artificialis autem facultas illa, quæ studio certisque legibus aliarum artium instar acquiritur. Partitur etiam in actualem, & habitualem; in docentem, & utentem; de quæis, dum volueris colloquia miscebimus.

NE-

(1) Rhetor. I.  
(2) Cic. Tusc. V. c. 25.



(3) Apud Corf. tom. I. fol. 65.



7

# NECESSITAS, ET OBJECTUM Logicæ.

## §. VIII.

**Q**Uum passim à Patribus, ac Philosophis dictum sit, sine Logica languere Rhetoricam, Poesim, & Historiam honestate, ac decentia carere, logicæ expertem, nec Jurisprudentiæ, nec Medicinæ posse esse participem, haud immerito quamplures Philosophi tanti ejus utilitatem fecere, ut nullam scientiam in quocumque statu, & eventu sine Logica haberi posse arbitrati sint. Ego vero, quamquam concedam, rudem, ac imperfectam cognitionem aliquam de clarioribus, facilioribusque rebus, solo rationis lumine absque Logicæ præsidio comparari posse; nullam tamen omnino facultatem in statu perfecto; nullamque scientiam omnibus numeris absolutam acquiri posse sine Dialecticæ legibus, constanter adsero. Partim practicam, partim speculativam prædicant nonnulli Logicam; sed labili ducti fundamento ut reor. Nec audiendi sunt, qui simul practicam, & speculativam asseverant. Hi nimirum Logicam efferrunt; & quod est Reginæ proprium, Ancillæ tribuunt. Igitur si totam speculativam, similitudinariè tantum practicam dixeris, nobiscum eris; cum *praxis* à D. Thoma diffiniatur: *Opus alterius potentie ab intellectu*. Si liceat verò ab hac explicatione causa disputandi nobis recedere, & praxim Adversariorum more explanare, practicam esse haud renuam defensare. In objecto Logicæ adsignando Scholasticorum ingenia tanto sententiarum dissidio torquentur, ut propriam opinionem monstrare cupienti aqua hæreat, quod ajunt. Non audio in primis eos, qui conceptibus formalibus rationem objecti primarii adtribuunt: recedo ab illis, queis aliquod reale artificium formam logicæ statuere est in animo. Aperio jam arcanum mentis meæ. Conceptus quos vocant objectivi, sive res omnes à nobis cognitæ sunt istius facultatis, quasi subjecta materies; forma verò artificiosa dispositio artefactorum, quæ merito *ens rationis* nominanda venit.

## UNIVERSALIA GENERATIM.

### §. IX.

**P**ORPHYRIUS ille, qui Plotinum audiverat, atque dein Jamblici præceptor fuit, quum ad scientias omnes, præsertim ad Aristotelis Categorias capescendas accuratam universalium cognitionem plurimum conferre intelligeret, Isagogem ad ipsas Categorias composuit, in qua naturas universales ad quinque veluti capita feliciter revocavit. Quamvis autem plurima in hacce Isagoge Porphyrius ipse tradiderit, vel absurda, vel Fidei repugnantia, quippe, qui Judaicam, in qua natus fuerat, deinde vero Christianam Religionem ejuraverat; attamen eleganter adeo de

universalibus differuit, ut cunctos sui in admirationem rapuerit; atque ab ipso recedere ausus est nemo ullus. Ego vero eandem cum cæteris insequar Porphyrii viam, hoc in uno à multis differens, quod plures inanes prorsus, nulliusque ponderis quæstiones, quæ plus confusionis, quam instructionis parturiunt, prætermitam. Supposita divisione universi in causando, repræsentando, & essendo, hocce ultimum, de quo solum in præsentia nobis sermo, est: *Unum aptum inesse multis*, & prædicari de illis. Dum non solum conceptiones, & voces, sed res itidem, & naturas universales dixerò, apparebit statim, me nec Nominalium, neque Stoicorum opiniones adprobare. Dum verò has universalium naturas extra singularia non existere, sed cum ipsis idemptificatas esse adfirmavero, alio me à Platonice spiritu agi facile dignosces. Neque adduci possum, ut teneam naturam secundum se, vel pro ut existit in rebus esse universalem. *Hoc enim (1) est solum in anima, nullo modo in rebus.* Ergo intelligas volo à parte rei nullam præter fundamentalem universalitatem reperiri. An re vera Plato posuerit Ideas, quales ipsi communiter tribuuntur, est mihi res obscura, ac incomperta, cum Aristotelem, & D. Thomam adtendo, & ad Augustini P. momenta animum converto. Nihilominus si rogare lubeat, habebis à me verba. Nihil frequentius, ac magis tritum in Logicorum auribus, quam universum dividi in quinque illas universalium species, genus, speciem, differentiam, proprium, & accidens, quam adæquatam adpello, ac singula membra pergo explanare.

## PRÆDICABILIA.

### §. X.

**N**on ibo inficias, hocce vocabulum *genus* varias posse sortiri significationes; proprie tamen, ac philosophicè pro *natura communi pluribus specie differentibus* usurpatur. Hoc inter Porphyrii prædicabilia præcipuum sibi vendicat locum, cujus diffinitionem ab ipso traditam respuit nullus, ut quæ ejus essentiam, ac proprietatem in aperto ponit. Sit ergo: *Unum aptum inesse multis specie differentibus, ac prædicari de illis in quid incompletè.* Duo ex hac colligas diffinitione oportet, & quod genus est natura perfectibilis, & potentialis, & non prædicari de specie, ut est pars in ea contenta, sed ut totum eam præhabens. A genere gradum facimus ad speciem ex ipso, & differentia conflata. Non aptius eam enucleabis, quam per esse: *Unum aptum inesse multis numero differentibus, & prædicari de illis in quid incompletè.* Sin minus arrideat, utpote soli speciei competens infimæ, audito hanc aliam communiorem à Porphyrio traditam: *Qua directè, & immediatè collocatur sub genere.* Ergo vides, speciem esse quid medium inter genus, & individua, sicut Judex Regem inter, & Populum; duplicemque respectum in ea distinguendum, &

(1) D. Thom. opusc. 55.

9

& subjicibilitatis ad genus, & superioritatis ad individua. Reduplicativè ut subjicibilis nequam est universalis. Genus nunquam in unica specie salvabis; bene tamen speciem in unico individuo. Differentiam, quæ à Porphyrio dicitur: *Unum aptum inesse multis, ac de illis prædicari in quale quid*, non constitui universalem per respectum ad speciem, sed ad inferiora speciei, certo certius nobis est. Sed quid immoror? Majora nos vocant atque utiliora. Reliqua prædicabilia libenter explanabo, eorumque diffinitiones tueri præsto adero.

## ANTEPRÆDICAMENTA.

### §. XI.

**M**ihi ad Aristotelis categorias proficiscenti vitio vertat nemo, si de antepredicamentis nonnulla delibavero. Eorum enim cognitionem apprimè necessariam ad prædicamenta capescenda reor. Et quia, quæ (universaliter loquendo) in prædicamentis sunt, univocè, æquivocè, analogicè, ac denominativè convenire solent, horum diffinitiones tradere, necessum est. Univoca sunt: *Quorum nomen est commune, & ratio per nomen significata simpliciter eadem.* Æquivoca: *Quorum nomen est commune; ratio verò simpliciter diversa.* Analoga: *Quorum nomen est commune, & ratio partim eadem, partimque diversa.* Analoga alia sunt adtributionis, alia proportionalitatis. Si rationem, necessitatem, venustatemque sermonis causas analogiæ dixeris, ero tecum. Denominativa demum diffiniuntur: *Quæ ab aliqua forma nomen habent solo vocis casu diversum.* Congrua de numero prædicamentorum brevitate dicturus ab illis abhorreo recentioribus, qui rerum suprema genera hisce versiculis contenta effutiunt:

Mens, Mensura, Quies, Motus, Positura, Figura,  
sunt cum materia cunctarum exordia rerum.

Neque malignantium in Aristotelicos linguarum flagra pertimesco, dum in Peripateticorum choro sequentia carmina cano.

Arbor, sex, Servos, ardore, refrigerat, ustos,  
Ruri, cras, stabo, sed tunicatus ero.

## PRÆDICAMENTA.

### §. XII.

**I**s, quæ ad classes, quas Aristoteles categorias adpellat, præcognita necessaria erant, impletis, recta pergimus ad prædicamentorum nobilissimum, substantiam nempe; in cujus constitutivo assignando videre mihi

videor Philosophorum inter se digladiantium opiniones, aliis in *negatione essendi in alio* firmantibus; nonnullis in *substare accidentibus*. Ergo aliquid ex his constitutum dicendum est, aut saltem ad essentiam pertinere? Neutrum penitus. Substantia quid positivum est, cujus primum essenziale munus est *subsistere in se ipsa*. (1) Dolet Augustinus (2) quod ante conversionem putaret Deum in prædicamentis contineri. Utinam similis pugerit dolor eos, qui in categoria substantiæ Divinam collocant. Angusta est, vel me Judice, talis domus, ut tantum hospitem capiat. De Christo verò Domino oppositum esto iudicium. Ventum est ad quantitatem prædicamentorum secundum, ex qua varii profluunt, insignesque effectus; extensio partium in ordine ad se; extensio in ordine ad locum, impenetrabilitas, divisibilitas, mensurabilitas. Æquantur placita capitibus in ejus essentia, ac constitutivo inveniando. Quid ipse elegerim ex discrepantium hinc sententiarum segete sequentibus patefaciam. Essentia quantitatis in sola extensione partium in ordine ad se sita est: cætera verò adtributa dicito. Ampla se offert cum recentioribus accidentia à substantia distincta inficiantibus altercandi materies dum ad quantitatis distinctionem à substantia diffiniendam appulit pertractatio. Opinio fuit Parmenidis, & Anaxagoræ, quam oblivioni jacentem Joannes Wicleff restituit, quantitatem non esse entitatem completam à substantia diversam. Extensionem esse corporeæ substantiæ essentiam autumat Cartesius, & qui cum ipso philosophari amant. Adversus has opiniones, quamquam scio à Viris eruditissimis plenis recipi ulnis, stabo imperterritus; ac Mysterio Eucharistiæ parum consonas demonstrare paratus. Multiplicem quantitatis divisionem aperiam provocatus.

## RELATIO, ET QUALITAS.

### §. XIII.

**E**Xistentia supposita ad naturam investigandam relationis realis sermo dirigitur. Ejus notitia Philosophis, ac Theologis valdè utilis est, nulla quippe ferè est Philosophiæ, Theologiæve pars, in qua de aliquo ente relativo non differatur. A principio dividenda venit in transcendentalem, & prædicamentalem. Hæc de qua tantum in præsentiarum loquuturi sumus, non aptius enodatur, quam per esse *accidens reale, cujus totum esse est ad illud se habere*, id est, *in puro respectu ad alterum consistit*, ut dicit Aristoteles. Collige ergo, vel funditus evertendam esse hanc diffinitionem Aristotelis, vel adserendum, relationem esse solum denominationem extrinsecam, quod etiam apud Adversarios male audit; vel cum his qui nomine gloriantur Thomistico, fatendum, non esse ipsum fundamentum, sed aliud genus rei, entitatemque additiam, modumque superadditum ab omni absoluto diversum. *Unitas, & numerus,*

ac-

(1) D.Thom. I. contra Gentes cap. 25. ☩ (2) Lib. IV. Conf. cap. 16.

*actio*, & *passio*, *mensura*, & *mensurabile* sunt tria satis vulgata fundamenta relationum; unde triplex relationum genus itidem emerfit; de quibus rogatus habebis non pauca. Qualitas est Aristoteli *accidens secundum quod dicimur quales*. Forfan displicebit, quia *quale* notius haud videtur qualitate. Sed audito hanc aliam: *Accidens dispositivum substantiae in se ipsa*. In quatuor species secatur, in habitum scilicet, & dispositionem, potentiam, & impotentiam, passionem, & patibilem qualitatem, formam, & figuram; quarum omnium notiones indigitabo.

## SEX ALIA PRÆDICAMENTA, & Postprædicamenta.

### §. XIV.

**B**revissimè de istis prædicamentis edisseram; nam ea profèqui fufius rei momentum non exigit: sat erit vulgarem juxta explicandi modum ea delineare. *Actio* prædicamentalis rectè diffinitur: *Actus secundus potentiae activae*. Partitur in immanentem, quæ nihil ad extra producit, & transeuntem, quæ aliquid ad extra molitur. *Passio* est: *Actus secundus potentiae passivae*. *Ubi*: *Circumscriptio passiva corporis ex circumscriptione activa loci proveniens*. *Situs*: *Partium in loco dispositio*. *Quando*: *Accidens rei ex eo quod sit in certo tempore*. *Habitus* demum: *Accidens rei ex circumscriptione corporis eam ornantis, seu protegentis*. Quinario clauduntur postprædicamenta numero, scilicet oppositio, prioritas, similtas, motus, & habere. Oppositio rerum, de qua solum hic agitur, explicatur quam optimè: *Repugnantia aliquorum inter se*. Quadruplex dici consuevit, relativa, contraria, privativa, contradictoria. Prioritas est: *Modus quo una aliam præcedit rem*. Alia est temporis, altera ordinis, alia dignitatis, altera naturæ. De motu redibit, Deo dante sermo. Similtas opponitur prioritati: ergo tot quot prioritas erit modis similtas. Quintuplex habendi modus auditur, per inhæsiõnem, per modum continentis, per possessionem, per relationem, per juxtapositionem.

## VOCUM SIGNIFICATIO, IDIOMATUM varietas, Scripturarum diversitas.

### §. XV.

**N**on hominum arbitrio, Augustino referente, (1) voces significare censuere Stoici; sed naturali cum rebus affinitate quadam. Nam *Mel* auribus, vel ipsis dulciter sonat: *Voluptas* blandè: *Crux* durè: *Aspe-*  
ri-

(1) Lib. de princ. Dialect.

*ritas* asperè : *Robur* fortiter profertur : *Vis* non sine vi. Ab his primogeniis vocibus omnia fluxisse vocabula tenuere Stoici. Verum, estò sit homini naturale vocibus suos exprimere conceptus ; hanc tamen vocem præ alia rem significare haud quaquam à natura , sed ab hominum voluntate pendere , credo. Et quod quædam voces rebus affines nonnumquam usurpentur , ab hominum itidem instituto provenit , quorum primus Adam imposuit nomina rebus. (1) Heinc fuit unica in orbe lingua, Hebræa , scilicet usque ad fabricam turris Babel , cum Deus linguas confudit , cuilibet familiæ propriam dialectum tribuendo. Feruntur factæ septuaginta duæ linguæ , è quæ per innumeras corruptiones , derivationes , novarum vocum admixtionem ea fluxit idiomatum diversitas , quam in orbis nationibus merito admiratur Plinius. (2) Nec solum quælibet natio , ac unaquæque provincia proprias sibi vendicat voces , sed propriam etiam pronuntiandi formam. Hebræi , Chaldæi , Arabes , & ferè alii Orientales ex imo gutture vocem aspere trahunt. Germani , Poloni , ac ferè septentrionales verba inter dentes frangunt. Galli lingua , labiisque vocem expeditè formant. Hispanorum demum gutturalis est pronuntiatio , quam à Mauris hæreditasse videntur. Dum , te roganti , causas hujusce diversitatis me audieris proponentem , nihil erit , puto , quod desideres. Magna itidem , etsi non tanta existit in scribendi modo diversitas. Scriptura per characteres symbolicos regnavit apud antiquos Ægyptios , qui rebus singulis figuras symbolicas aptabant ; è quibus haustam ex parte retinent Astronomi , Constellationes , præcipuè Zodiaci , etiamnum animalium figuris repræsentantes. Sinenses , ac contermini populi Alphabeto carent , certo litterarum numero contento ; sed rei cuilibet proprium characterem adtribuunt , adeo ut ad octoginta ferè millia characteres pertingant incredibili incommodo , & exterorum , & ipsorum Sinensium. Cæteræ verò nationes vulgari illa scribendi utuntur ratione , ex vigintiquatuor , aut ad summum vigintiocto litteris vocabula formantes , minori labore , uberiori fructu. Ast , neque in modo litteras exarandi conveniunt. Hebræi , Chaldæi , Arabes lineam ducunt è dextra ad sinistram ; Græci , ac Latini è sinistra ad dexteram. Sinenses neutra hac via , sed lineam à summo ad imum paginæ ducunt. Quinam potiori ratione ? Dicam.

## RECTA TERMINORUM PERCEPTIO , Vitia , ac Remedia.

### §. XVI.

**M**agni momenti , ususque res agitur : ut scilicet , rectè terminos , atque ex inde res ipsas mens nostra percipiat ; nam , ut male locatis fundamentis , nihil tuto construitur , sic malè perceptis terminis , nulla  
no-

(1) Gen. 2.

⊗ (2) Lib. 7. Hist. nat.

nobis certa cognitio. Ergo perceptio terminorum, ut perfecta sit, tres habeat dotes, necessum est: ut sit *integra, clara, distincta*. Hinc tres ejus defectus: *diminutio, obscuritas, confusio*. Cum mens soli termino attendit, ac rem eo designatam vix animadvertit, *diminutio perceptionis* contingit. In huncce, licet crasorem defectum impingunt plerique, qui scientiarum terminos auribus avide accipiunt, recondunt memoriæ, versant mente, ac, data occasione, proferunt expedite, ordinate, disserte. Hi sibi, & vulgo eruditi videntur, cum serio nihil sciunt; & superficialibus contenti, si de rebus terminis significatis quæras, perinde est, ac si à cæco sensum colorum postularis. Obscuritas duplo in perceptionibus accidit; vel ex parte termini, cujus obscura est significatio, vel ex parte rei significatæ, cujus natura nos latet. Primo modo plures in Philosophia obscuræ circumvolvuntur quæstiones, cum eadem voce aliud aliud intelligat, ac plerique nihil fixum. Hinc tot pugnæ plerumque de solo nomine. Secundo modo deficit perceptio, cum perspicue videt mens, quo res termino designetur, at non itidem percipit quid sit illa. Confusio demum oritur in perceptione, cum termini significatum plura continet involuta, quæ uno obtutu singula percipi nequeunt. Diminutioni medetur attentio, quæ numquam satis commendari potest; sine illa enim, & in negotiis, & in scientiis nihil haberi exactum, illi soli nesciunt, qui nihil sciunt. *Age quod agis* est vetus præceptum. *Obscuritati* diffinitio medetur. Hæc, si terminos vagos ad certum determinet, vocatur *nominis*, si rem obscuram clarioribus explicet ideis, diffinitio *rei* dicitur. *Confusioni* divisio medetur, cujus est rem multa involventem in partes dividere, ut possint distinctè videri. Abstractio etiam non parum juvat, nam unam rationem ab aliis sejungit, ut eam facilius mens intueatur.

## RECTITUDO JUDICII, VITIA, ac Remedia.

### §. XVII.

**Q**ui quod novit loquitur, index est justitiæ, dicitur Prov. 12. Rectè igitur judicamus, cum juxta cognitionis, quam de re habemus, mensuram, nostra judicia temperamus; inique verò, dum de re ignota decernimus, vel ultra modum cognitionis judicia promovemus. Duo ad judicii rectitudinem concurrant, necesse est; & sufficiens examen, quo propositio judicanda nobis possit innotescere; & isto præmissò commensuratum cognitioni judicium ferre. Examen sufficiens dixi, quia æquale omnia non exigunt. Quædam sunt obvia, & facilia, quædam reconditoria, & abstrusa, quædam magni momenti, quædam non tanti, ut diutius nos debeant detinere. Vocavi *commensuratum judicium*, quia non æqualem omnium cognitionem matura, & diligens discussio nobis parit. Quædam certa, & evidentiâ comperiuntur, alia tantum probabilia, alia in-

D

cer-

certa omnino. Certis constantem assensum ; probabilibus temperatum, incertis nullum debemus. Ergo rectè non judicat, qui vel in evidentibus fluctuat, vel pertinacius adhæret probabilibus, vel assentitur incertis. Hoc quidem omnes norunt ; sed pauci in usu tenent. Mitto Academicos, Scepticos, Pyrrhonicos, qui evidentibus repugnare gloriabantur : mitto Epicureos, qui sua insomnia ut veritatis oracula venditabant. Quam multi etiamnum robur ingenii putant, certa quæque inficiari ! Quam plures, si quid sibi probabili ratiuncula persuaserint, statuunt illico dogma ! Sed quo fonte hi defectus in nostra judicia profluunt ?

§. XVIII.

**Q**uatuor notari queunt : *vitiosa terminorum perceptio, præcipitatio judicii, præoccupatio, imaginatio, & sensus.* De vitiosa perceptione jam satis dictum. *Præcipitatio est: inconsultum de re non satis nota judicium.* Ex duobus ferè oppositis oriri solet ; & ex levitate ingenii, & ex ejus nimio impetu. Sunt enim levia quædam ingenia, quæ ut linguam, ita & animi sententiam cohibere diu nequeunt, moras maturæ discussionis non patiuntur. Hoc vitio juniores passim laborant. At sunt alia morosa quidem, & gravia ingenia, quæ diutius hærent in expendenda propositione ; sed semel inclinata haud descendunt, sed suo pondere abrepta ultra metam ruunt. Hoc vitium sepè magna inficit ingenia, nec ferè aliud hæres es, ac sectas parturire solet. *Præoccupatio* alia est intellectus, alia voluntatis. *Præoccupatur* intellectus præjudiciis, seu anticipatis judiciis, quæ nobis, ut certa, aut ætas, aut consuetudo, educatio, vel autoritas instillavit. Horum pleraque vera sunt ; & nonnulla falsa. Viri ergo sapientis erit, ea, nec temerè respuere, nec clausis oculis sequi, sed ad stateram rationis expendere ; alioqui ductum ex illis judicium periclitatur. Amore, odio, ira, pertinacia, cet. præoccupatur voluntas. Hisce præventa facile mentem excæcat, & ad judicia falsa inclinat. Hoc vitium nedum regnat in agendis, sed serpit quoque in speculativis. Quæ placent, veræ, quæ displicent falsæ quandoque habentur. Quæ pulchrè, vividè, patheticè, graviter dicuntur, vera autumamus ; quæ inornatè, frigidè, timidè, difficulter, falsa auspicamur. Contradicendi quoque prurigo, propriarum cogitationum nimius amor, studium vincendi, pudor se retractandi, propensior animus ad aliquos auctores, iniquior ad alios, novitatis amor, fastidium vetustatis, dum se judiciis immiscent, non mediocriter ea in transversam adigunt. *Imaginatio* demum, & *sensus* variè judiciis nostris illudunt, quos iis mens sepe utatur, non ut ministris defectus, quorum corrigere debet, sed ut amicis nuntiis, quibus nimium fudit ; immo ut regula, quacum rerum cognitionem metitur. Hi sunt nonnulli judiciorum defectus, pro quibus vitandis certi canones præsto erunt.



# DEMONSTRATIO.

15

## §. XIX.

**J**Am ad demonstrationem accedamus, postquam ea, quæ de terminis, & propositionibus erant dicenda, plus æquo fortè præstavimus. Atque ut elucescat demonstrationis natura, duæ mihi Aristotelis diffinitiones veniunt commemorandæ. Eccillas: *Syllogismus pariens scientiam, seu faciens scire. Syllogismus constans ex propositionibus necessario, ac evidenter veris.* In *propter quid*, & *quia* primo secatur. Ea propriam, & immediatam rei causam affert. Hæc evidenter quidem probat, causam tamen immediatam haud adducit; sed unicè remotiorem, absurdum, vel incommodum. Utriusque exemplum proferam, adseramque *propter quid* nobiliorem esse *quia*. Alia est itidem demonstratio à priori, & alia à posteriori; à queis expendendis supersedeo, ne repetens fiam quod omnes norunt. *Premissa* inquit noster Angelicus Doctor *habent rationem cause efficientis, & activæ respectu conclusionis.* (1) Quid clarius dicere poteram? Ergo nihil addam; ne relata referam.

## PHYSICA GENERALIS.

### DIGNITAS, DOTES, OBJECTUM.

## §. XX.

**P**ulcherrimam, jucundissimam, cæterisque omnibus antiquiorem Philosophiæ partem explicandam aggredior, quæ, cum totam naturæ speculationem contineat, *Physicæ*, vel naturalis disciplinæ nomenclaturam obtinuit. Cujus quidem uberrimæ facultatis dignitas, & amplitudo non alia minori, clariorique via deprehendi quit, quam, si ipsa rerum Natura, majestas, admirabilisque prorsus varietas animo nobis, & oculis obversetur; cum iisdem propè finibus, queis Universi compages continetur, *Physicæ* facultatis cognitio circumscripta sit; quod nedum veterum sapientum voce, sed ex ipso *Physiologia* nomine, quo sæpius exornatam conspicimus, pulcherrimè demonstratur. Ergo mirari non possumus, si nulla ex variis sapientiæ partibus apud Veteres, recentioresque Philosophos magis in pretio fuerit, illustrioribus laudibus exornata, summis ingeniis exulta, assiduis laboribus comparata. Quibus paribus unquam verbis explicari potest, quo studio, & amore veritatis cognoscendæ, naturæque contemplandæ exarserint Veteres illi, quos *Venatores Naturæ.* (2) adpellat Cicero? Omnes tamen, & ingenii gloria, & regia Alexandri munificentia, & librorum copia longissimè superavit Aristote-

te-

(1) 1. Post. Lec. 3.



(2) Cic. Nat. cap. 30.

teles, teste Laertio. (1) Tanti ergo Principis præmens vestigia illam generatim nunc, particularem postmodum, lustrabo. Et quamquam sciam, hanc jucundiorē sapientiæ partem obscuriorem evasisse, & rerum ipsarum obscuritate, & opinionum multitudine, & experimentorum varietate, tantum abest, ut cum Pyrrhonicis, & Acatalepticis illam à scientiarum numero expulsem; quin potius plures in ea demonstrationes fieri arbitror; scientiam voco, speculativo gaudentem honore, utpote sistentem primario in contemplatione sui objecti, quod rectè explicatum censeo per *ens mobile*.

## PRIMORDIA RERUM.

### §. XXI.


**P**roperat jam, vel quasi rapitur calamus referre, quæ haud perfunctoriam exposcit operam, principiorum entis naturalis controversiam, quæque Physiologiæ arcanorum arcanum jure audit. Atque primitè statuenda venit, quam de principiis tradidit Aristoteles definitionem: (2) *quæ neque ex se invicem, neque ex aliis, sed ex quibus omnia fiunt*. Hæc erit citra dubium Peripateticis lapis lydius, contactu cujus opiniones omnes explorare debent. Duas insuper dotes principiis adtribuere oportet, & simplicitatem, qua omnem excludant compositionem, & aliquam inter ipsa contrarietatem, seu oppositionem, quam vel ipsi Veteres, quasi ab ipsa veritate coacti, agnovere. Hucusque ferè cum omnibus pax. Verum in stabiliendis principiis tanta profuit Veteres inter, ac Recentiores Philosophos opinionum multitudo, ut nihil fortassè excogitari unquam possit, de quo magis, & acrius illi inter se differuerint. Ego verò singulorum opiniones libenter referrem, nisi plus equo volumen excresceret. Ne tamen in Physicæ hac controversia præcipua jejuna videar, promitto tibi, quum volueris, Majorum Gentium, Pythagoræ, Parmenidis, Melissi, Thaletis, Diogenis, Heracliti, Empedoclis, Anaxagoræ, Leucippi, Democriti, Epicuri, Cartesii, Chymicorum judicia circa entis naturalis principia referre. Omnes tamen isti in stabiliendis rerum principiis magnopere à vera lapsi ratione videntur eis, qui cum Aristotele philosophari amant. Solus namque Stagiritæ, meo judicio, rem acu tetigit, foelix scilicet, cui uni se natura videndam exhibuit, quique proinde potuit primus rerum cognoscere causas. Tria ergo cum ipso entis naturalis in fieri principia teneo, materiam videlicet, formam, & privationem; in facto vero esse tantummodo duo sunt, forma, &, ad quam stilus convertitur.

## MATERIA.

### §. XXII.

**E**O rem deduximus, ut expositis, confutatisque Veterum Recentiorumque placitis, id unum supersit, ut in Materiam, primum Aristote-

(1) Laert. V. F. 32.



(2) I. Phys. cap. 5.

licorum principium explanandam mentis aciem intendamus. Quod quidem operis arduum sanè, ac perdifficile esset; si ipsius natura adeo obscura; difficilis, & ignota esset, ut prædicant Recentiores. Haud ita tamen; facile intelligi potest, generationis substantialis notitia præhabita, aliquod esse commune subjectum, puram potentiam, omni forma expertem, quæ in omnium rerum genera formabilis cunctorum entium species reciperet. Hanc *Materiam primam* voco; in rerumque natura necessariam adfero, ut esset veluti theatrum, in quo mirabilis illa generationum, & corruptionum scena perageretur; & ut pulcherrimæ huic, quam cernimus, substantiarum diversitati deservisset; dum veluti Proteus alter in tam varias species transformatur. Illam, quam Veteribus ignotam prorsus adstruit, explanaturus Aristoteles, (1) vocavit *primum subjectum*, ex quo, cum insit, aliquid sit primo, & non secundum accidens: & in quod ultimum, si aliquid perit, abit. Ulterius aliam notionem tradidit: (2) *Materia non est quid, nec quale, nec quantum, nec aliquid eorum per quæ ens determinatur*. Ex quibus inferes, materiam nullam ex se habere existentiam, sed unicè per existentiam compositi existere; taliterque à forma in existendo dependere, ut nec Divina adhuc adtentata potentia; sine ea esse valeat. Quod enim involvit contradictionem inquit D. Thomas (3) à Deo fieri nequit, & hujusmodi est materiam esse sine forma. Adpetit Materia formas abs dubio; sed discrimine quodam. Quam habet, adpetitu complacentiæ; quas non habet, nec habuit, habere tamen potest, adpetitu desiderii; quas demum jam habuit, adpetitu quodam inefficaci. Cave, ne hunc adpetitum elicitem judices; innatus est, sive naturalis dumtaxat inclinatio, sicuti illa, quæ gravia pellit ad centrum. Ingenerabilem, incorruptibilem, à solo Deo productam, & destruendam Materiam pronuntio.

## FORMA, ET COMPOSITUM.

### §. XXIII.

**D**E forma differere ipsa exigit præcedentium materies. Ad puram enim potentiam, in omnium entium genera versatilem, actus subsequitur ipsam informans, adiaphoriam removens, complens, & determinans. Hæc est Peripateticis forma substantialis, cujus existentiam rationibus comprobabo. Atomorum certa combinatio, quam Petrus Gassendus formam substantialem posuit, malè audit apud Aristotelicos, qui formam à materia aliam adseverant, & *actum primum materiae primæ* definiunt. Bifariam formas materiales produci certius nobis est certo. Compositorum genitorum per educationem factas propugno; Cælorum verò, & elementorum per creationem ex nihilo. Disputent & Nostrates, & Exteri, an anima rationalis sit, vel non sit educibilis de potentia materiæ. Quid mihi? Quæstiones ejusmodi possibilium, & impossibilium con-

E

tem-

(1) I. Physic. (2) V. Meth. c. 3. § (3) Quodl. 3. a. 1.

tēplatrices parvi facio; nec cum quopiam iudicio certandum: dummodo mihi concedant de facto fuisse creatam, neququam eductam. Ad hæc Augustini verba omnes antiquorum opiniones circa compositi naturalis fabricam præcipites ruunt. (1) *Homo neque anima solum, ueque corpore solum, sed ex utroque compositus est.* Cogor adversarios suscipere Nostratum nonnullos, dum sum de unione materiæ cum forma dicturus. At utur liceat cuique in suo sensu abundare, mihi sane aliter opinari haud licet; ac Aristotelis, & D. Thomæ momenta, rationesque ex ipsis depromptæ suadent, materiam, & formam præcisè per proprias entitates absque modo superaddito uniri. Vidisti me cum nostris: vide me cum exteris præliantem. Compositum substantiale esse tertium genus rei à partibus distinctum minimè diffitebor, nec verò possum. Ergo cum Scotistis ero? Minime gentium. Illa tertia entitas dicta compositum non est diversa à partibus suis, quasi addens aliquid ipsis, sed solum ut constituta ex his: unde non distinguitur ab illis ut unum sunt; sed illud unum, quod fiunt per mutuam conjunctionem, est ipsissimum compositum.

## NATURA, VIOLENTIA, ET ARS.

### §. XXIV.

**H**Astenus de intraneis rerum principiis. Videndum modo de earum causis, cum intrinsecis, tum extrinsecis. Missis plerisque, quibus usurpari solet *Natura*, acceptionibus, in præsentiarum unicè pro radice intranea illorum motuum, quos non agentis externi vis extorquet à rebus, sed ipsæ res sese ultro effundere videntur, sumere fas est; quo in sensu rectè ab Aristotele definitur: *Principium, & causa motus, & quietis, ejus in quo est, primo, & per se, & non secundum accidens.* Immerito à ratione naturæ materia, & forma, anima necnon rationalis excluduntur; jure meritoque Deo, Angelisque abjudicabitur. *Cujus principium est extra, passo non conferente vim* definitur naturæ opposita violentia. Nihil in auribus sonat nostris absurdius, quam Deum violentiam creaturis imprimere. Ergo tenebo non fuisse violentum soli, quod cursum suum retinuerit ad vocem Josue, nec quod retrogressus fuerit ad Isaiaæ Imperium, nec Jordani, quod conversus fuerit retrorsum ad fontes suos? Tenebo, & indubitanter, & mordicus. Sat haud dixi. Nec motus quem superius agens imprimit nonnumquam naturæ inferiori, quantumvis insolitus, & diversus ab eo, in quem prona est, adpellandus est violentus, sed naturalis potius. Ab arte, quæ *recta factibilium ratio* sonat, artificiale originatur. Hoc enodari ita quit: *cujus principium est extra in ratione practica externam materiam disponente.* Simia est Ars, & imitatrix naturæ, ejusque quamplurima opera efficere potest, applicando, ut ajunt, activa passivis. Verum aurum artis ope patrari buccinant Chymici, & nonnulli itidem Philosophi ad barbaros certè non amandandi; & estò me non

(1) Lib. 19. de Civ. Dei.

non fugiant facta , quæ ea de re historiis continentur , id tamen proferre non ambigam , nullius scilicet apud me fore pretii , quæ in auri hujus possibilitatis favorem blatterant Alchymistæ ; semperque vocabo aurum istum cum Divo Thoma (1) *sophisticatum*.

## CAUSÆ GENERATIM.

### §. XXV.

**S**I quid Philosophum maximè deceat , ingenuum nempè Divinarum , humanarumque rerum inquisitorem , id sane est illarum causarum cognitio , à queis hujusmodi res originem sortiuntur. Varia igitur causarum genera traditurus , rem altius , & ab ipsa veluti origine repetens , ab ipso *Causa* nomine exordior. Aliud nihil est itaque causa , quam *principium influens esse in aliud , vel ad quod sequitur esse alterius*. Ergo duo dubio procul requiruntur , ut aliquid alterius causa dicatur , & quod effectus à causa , à qua recipit esse , secernatur , quum nihil possit sibi ipsi tribuere esse , & quod ab ea dependeat. Heinc caveas , oportet , cum PP. Græcis Patrem Eternum causam adpellare Filii , ni causa sonet idem ac principium. Atque ista quidem de causarum nomine , ac essentia. Quod ad illarum numerum pertinet , quatuor causarum genera veteri , constantique Philosophorum omnium consensione admittuntur , ut Aristoteles (2) subtiliter demonstravit ; materialis scilicet , formalis , efficiens , & finalis. Non omnis causa est semper prior tempore effectui ; haud raro solum illum præcedit natura. Ita invicem causæ disponuntur , ut causalitas materiæ præcedat causalitatem formæ , causalitas agentis præcedat utramque ; causalitas demum finis sit prior omnibus. Causatio formæ nobilior est materiæ causalitate ; efficientis perfectior utraque ; finalis omnium nobilissima. Ipsa formæ receptio est causalitas materiæ ; ipsa materiæ actuatio est causalitas formæ. Dubitas an suas exercent causalitates per aliquid superadditum ? Memineris me alibi se ipsis uniri absque omni medio fateri.

## CAUSA PRINCIPALIS , ET INSTRUMENTALIS.

### §. XXVI.

**U**No Philosophorum ore , ac consensu finitur principalis efficiens causa : *Principium extrinsecum , à quo primò profluit motus , seu à quo profluit rei productio*. Missis quamplurimis istius divisionibus , in effecta convertimur. Ac primo quidem diffitebor minimè , substantialem formam esse primum fontem , radicemque agendi , ne à Peripateticorum aula resillire videar ; concedamque facile , animam ex causa , esse principium cunctarum actionum vitalium , nutritionis , sensationis , generationis , intel-

(1) 2. 2. q. 77. art. 2. ad 1.      (2) V. Meth. cap. 2.

tellectionis, volitionis. Sed an hæc immediatè, vel mediis potentiis, motrice, nutritiva, augmentativa, cet. præstet, adferendum judico cum Thomistarum cohorte, nullam substantiam creatam immediatè, & proximè operari, sed in omni operatione accidenti rationem principii proximi adtribuendam esse. Dimanationem, sive resultantiam non voco actionem distinctam ab actione productiva essentiæ; & si hanc causam effectricem propriè, ac rigorosè suarum proprietatum esse opinaberis, cogam, ut talem exuas opinionem. Nihil certius artificem malleo, arborem femine, Deum uti Sacramentis ad sua in lucem effecta prodenda; non secus ac in Politica unus homo utitur alio, tamquam Ministro ad negotia. Hæ superiori inservientes causæ instrumenta dicuntur, quæ à D. Thoma explicantur: *causæ agentes in virtute alterius*, causæ scilicet principalis. Agere igitur causa instrumentalis motionem quadam actuosa vires ejus activas elevante, derivata à causa principali. Quomodo ergo operari possit per solam extrinsecam assistentiam, & subordinationem causæ principalis assequi non sufficio.

## CAUSA FINALIS.

### §. XXVII.

**S**equitur causarum nobilissima, reliquis præstantior, finis nempe, cuius vocabulum, estò possit multipliciter usurpari in præsentia accipitur, pro excitante, allicienteque causa ad agendum; *quo in sensu apud Aristotelem jure audit: id cuius gratia aliquid fit. Nemo intendens malum operatur*, ajebat Dionysius. (1) Igitur solum bonum, verum, vel adparens habere potest rationem finis; malum verò sub ratione mali nunquam. Paulisper hic nobis certandum est cum Divinæ Providentiæ hostibus, Leucippo, Democrito, atque Epicuro, naturæ motum tendere in determinatum finem inficiantibus; ac omnia agi, & agere temerariis, ac fortuitis Atomorum concursibus, somniantibus. Sed quam belle inquebat Cicero (2) Epicurum hacce uti explicatione naturæ, *ut mortis tollatur*, ac Religionis metus. Contra tamen Aristoteles, Plato, Socrates, Pythagoras tenuere firmiter omnem naturæ cursum tendere in finem, ad quem ipsa Divina Providentia ordinavit. Agunt igitur agentia purè naturalia propter finem executivè: hoc est, in finem tendunt ipsis à Provissore præfixum. Bruta agunt propter finem non directivè, quasi ipsa se regant per proprium judicium. Sed eorum cognitio, ac adpetitus regulatur instincto, non ratione propria formato, sed à Deo Authore Naturæ impresso. Agentia vero ratione donata propter finem agunt directivè.

## FORTUNA, CASUS, ET FATUM.

### §. XXVIII.

**P**utavit Gentilium superstitio vana fortunam Numen quoddam, à quo sublunares res, humana itidem negotia impetu versarentur cæco.

Un-

(1) Cap. 4. de Div. Nom.



(2) Lib. 4. dd finib.

Unde fortunam fingeant cæcam; similem furenti, volubilem super globum altero stantem pede, coronas, divitias egestatem, carceres, victoriam indiscriminatim spargentem. Sed absit perquam stultum Dogma à vera Philosophia, fortunam, casumque pro causis per accidens concurrentibus, ex quibus oritur inopinatus effectus, sumentem. Ita in cordationum auribus Philosophorum sonant casus, & fortuna: *Causæ per accidens, &c.* In Angelis locum habere concedo; neutiquam respectu Dei. Variè circa fatum erravere Antiqui. Negabant plures, Mundum Providentia regi, omnia casu, ac temerè dicentes evenire. Alii fatum admittebant, sed ad cœlestia corpora mandabant. Alii demùm fingeant, fatum esse necessitatem quamdam, omnibus etiam Diis dominantem; unde Homerus inducit Thetis, & Jovem deslentes futuram Achilis mortem, quam, quod in fatis exarata esset, nequibant avertere. Hæc omnia, & falsa, & fabulosissima meritò PP. rejiciunt, & fati nomine nihil aliud intelligunt, quam ipsa Divina præordinatio, sive dispositio quædam rebus contingentibus impressa, per quam Deus exequitur decreta suæ providentiæ; vel ut clarè explicat D. Thomas: (1) *Ordinatio causarum secundarum ad effectus divinitus intentos,*

## MOTUS, ACTIO, PASSIO.

### §. XXIX.

**E**O proterviæ nonnulli veterum devenere, ut dari motum denegarent, sed tamen ad oculum cernimus, omnia corpora motui subijci, eamque rerum omnium naturalium individuum esse proprietatem, ut haud immerito Diogenes sophismata Zenonis, quibus motum oppugnabat, non aliter, quam obambulando confutanda censuerit. Obvia est motus finitio, quam Aristoteles tradidit, quin & legitima est, ac certa, licet prima fronte paulo videatur obscura: *Actus entis in potentia prout in potentia.* Quamvis successivæ potius, quam instantaneæ conveniat mutationi, accommodari mutationibus repentinis posse, paucis aperiam, Arbitror actionibus immanentibus, ut visioni, auditioni, imaginationi, haud quaquam adaptari posse. Non aliam quam modorum, aut formalitatum distinctionem motum inter, actionem, ac passionem agnoscimus; substantialiter enim, ac realiter unum sunt. A termino sumit motus speciem, non secus, ac illa, quæ non sunt propter se, sed propter aliud: unde unitas sive distinctio generica, & specifica à termino ad quem tendit, desumitur: numerica verò tria requirit, & unitatem subjecti, & temporis, ac termini. Horum uno variato de unitate motus numerica actum esse reor. Varia motus genera, ac species sum explanare paratus.

F

MO-

---

(1) I. p. q. 116. art. 4.

## MOTUS LOCALIS.

### §. XXX.

**A**ccedo jam ad notiores, nobilioresque motus speciem, lationem scilicet, exponendam, cujus naturam, copioso *prosequar* sermone; cum de ea, ut de aliis, ex professo alibi dicturus non sim. Tria in motu locali statim distinguenda occurrunt. Eccilla. Vis motrix, seu impetus, alternatio loci, & determinatio tum motus ipsius, cum vis motricis ad hunc, aut illum terminum. Hæc tria in omni motu reperiri dubitat nemo ullus. Quid unumquodque sit, præsens negotium est. Atque in primis alternationem loci optimè explicari judico per modum *ubicationis* quemdam, rem mutatam taliter, quam antea se habentem, constituentem, motumque localem perfici variatione ipsius *ubi*, quo res huic potius, quam alteri determinatur loco. Vim motricem, seu impetum aliquid esse reale certum est, cum effectus habeat nihilo competentes neutiquam. Ridet hocce commentum Cartesius in suis ad Henricum morum responsis. Vim motricem, seu impetum vocat modum, atque hoc nomine fat dixisse putat. Sed si ab ipso quæras, an modus ille sit aliquid, vel nihil? An substantia, accidens, vel aliud genus rei? Hærent hic planè Cartesianæ principia. Ergo sustinendum puto esse accidens reale à suo subjecto realiter diversum. Determinationem motus voco tendentiam illam ad certum terminum. Duplex est in genere, recta, & circularis. Utraque varias continet species, de quibus verba faciam. Deviat, ut solet, à veritate Cartesius, dum adserit omnem motum naturaliter determinatum esse ad lineam rectam, nec ad circulem deflectere, nisi per accidens.

## MOTUS GRAVIUM, AC LEVIUM.

### §. XXXI.

**N**on aliam esse gravitatis originem arbitratur Cartesius, quam perennem materiae subtilis motum, quo corpora magis inertia premuntur, ac ad centrum vorticis impelluntur. Terram ex se emittere corpuscula, quæ implicata corpori gravi, cum hac præda ad ipsam revertantur censuit Gassendus; atque hoc modo gravia moveri autumavit, non à se ipsis, sed à terra ea ad se trahente. Sanè laudanda est istorum industria, ubertas ingenii, mentis præstantia; opinio vero, levibus conjecturis, dubiis, ac incertis munita principiis penitus spernenda. Ergo superest, ut gravia cum Peripateticis moveri dicam impetu intraneo, ab Authore naturæ indito, Hæc enim sonant, quæ Sap. 11. dicuntur: *Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti.* Ubi per pondus intelligitur inclinatio, qua res ad id, quod sibi expedit, impetu indito fertur, ut notat S. Thomas. (1) Pari modo levia moveri sursum impetu intrinseco à generante impresso, commune est Aristotelicorum placitum. In Arena resolvam, quæ circa gravia agirari solent dubiola.

Pri-

(1) I. p. q. 5. ar. 5.



Primo : Cum statera , *Hispanicè ROMANA minus pondus, si à centro , seu fulcro statera longius abducatur , majus pondus attollit.*

Secundo : Cur metallum , licet aqua gravius , si ducatur in tenuissimas lamellas , aut acus , non mergatur?

Tertio : Cur globus è tormento trans flumen explosus languidiorem ietum edit?

Quarto : Cur lignum licet aqua levius , ei tamen aliqua sui parte immergatur?

## MOTUS ELASTICUS, SYMPATHE- ticus, & antipatheticus.

### §. XXXII.

**A**Dpello Elaterium , vulgo *Resorte* , corpus quod à suo statu dimotum in eum se restituit. Impetus , quo id fit *vis elastica* nuncupatur; motus demum ille *motus elasticus*. Tribus modis accidere perspicuum est: Primo , cùm corpus compressum vi , ea amota , se extendit , ut præssus aer se explicare nititur. Secundo , cum vi tensum se reducit. Tertio , cùm violentè flexum se erigit , ut arcus inflexus , Lamina Chalybea complicata , lignum viride curvatum. Hæc in pluribus corporibus sunt conspicua; unde tamen oriatur dubium est non facilè solutu. Ad materiam subtilem confugit Cartesius , ut solet. Ego vero aeri , seu spirabili corpori poris incluso , presso , aut tenso , qui dum se restituere nititur , pristinum restituit corporibus statum , vim elasticam tribuo. Vis demum elastica aeris , qua nimis pressus , aut tensus in proprium statum redit , ipsi à natura est. Plerisque rebus inesse motum , quo aliquibus accedere ab aliis recedere affectant , innumeris constat experimentis. Sic ferrum , & magnes ad invicem accedunt , Hydrargirus ad aurum ; refugit tamen lignum , ferrum , cuprum , vitrum. Innumera mitto alia. *Hi sunt* , quos *sympathia* , & *antipathia* motus adpellant. Causam horum declaraturus , haud verear ad impetum intraneum à natura inditum rebus confugere ; quo cognatis , & amicis jungi affectant , & à contrariis recedere ; qui sciam , corpuscula insensibilia , queis alii causam adtribuunt sensus nostros perinde fugere.

## MOTUS PROJECTORUM, AC PEN- dulorum.

### §. XXXIII.

**L**apidem à manu vibratum , sagittam ab arcu globulum à tormento bellico , aliaque non pauca projecta à motore separata motum continuare videmus. Varia inter Philosophorum sensa circa causam hujusce continuati motus veram , germanamque traditurus originem , unicè pro-  
jec-

jecta moveri impetu illis à projiciente impresso, contendo; adfirmoque aerem antè pulsum non esse causam, à qua moveantur projecta; estò non inficiar, aerem presum antè projecto, ac cum impetu retrò recurrentem adjuvare ejus motum. Ergo cave ne dum Aristoteles (1) motum projectorum aeri tribuit, ei plusquam ut juvanti, concedas. Notum est, corpus grave à fune pendulum, altius abductum, ac dimissum, præcipitari innata gravitate deorsum, at ubi attigerit perpendiculum, non quiescere, sed emergere sursum ad parem propè altitudinem, à qua descenderit. Idque variis vicibus, donec sensim languescente impetu quiescat. Duæ videntur causæ hujus motus, & impetus in descensu acquisitus, & aer retrò urgens. Sequentia data occasione resolvam.

*Cur quo Pendulum è longiori filo pendet, eo plures edat vibrationes?*

*Cur ejusdem penduli vibrationes omnes, licet aliæ aliis majores, equali tempore fiant? At longioris penduli omnes tardius, quam brevioris?*

*Cur in Machina Pneumatica exhausto crassiori aere pendula diutius suas continent vibrationes?*

## MOTUS REFLEXUS, SEU RESILITIO.

### §. XXXIV.

**C**ORPUS cum impetu vibratum, dum alteri duro allidit resilere milies repetita confirmat experientia. Pila parieti allisa, etsi fortè non cum tanto, cum insigni tamen impetu resilit; recta quidem, si incidat ad perpendiculum, obliquè vero, si obliquè incidat; ita sane ut obliquitas reflexionis pars semper sit obliquitati incidentiæ, ac utraque parem angulum efficiat. In causa assignanda hujus motus reflexi non una est Physicorum opinio. Eundem motum, ac impetum perseverare in reflexione, tantumque variari determinationem censet Cartesius. Nempe, inquit, paries occurrens pilæ non opponitur ejus motui, unice determinationi, ne scilicet, pergat ulterius. Itaque motu ejus adhuc vegeto manente, regredi ac reflecti oportet. Ego vero & motum alium in reflexione reperio, & novum impetum productum ab elaterio corporis, aut reflexi, aut reflectentis, aut ab utroque. Hinc reflexio in his solum corporibus locum habet, quæ vi elastica pollent, in quibus vero nulla est, aut segnior, nulla itidem est, aut segnis resilitio. Ob id egregie resiliunt ex alto dimissi in incudem globus chalybis temperati, eburneus, marmoreus, vitreus. At minus ferreus non temperatus, minus plumbeus, minus stanneus, minime demum ex argilla molli conflatus. Ob id demum globus ferreus è tormento vibratus in murum sacco laneo munitum, nec penetrat, nec resilit, sed effæto impetu ad muri pedes cadit.

IN-

(1) 7. Phy. cap. 2.

# INFINITUM, LOCUS, VACUUM, Tempus.

§. XXXV.

**H**Æc quatuor in unum exponenda amplector, ut finem generali Physicæ imponam, ferveturque particulari locus, in qua tam multa, magna, jucunda occurrent de naturæ effectibus edisserenda. Infinitum ergo, ut ab ipso exordias. *Quod caret fine* sonat; aliudque est categorematicum, seu in actu, aliud syncategorematicum, sive in potentia. Unum tantummodo in actu reperies. Demum scilicet O. M. omnem essendi plenitudinem congregantem. Infinitum in potentia locum habere in creaturis non est, cur dubites. Enodavit Aristoteles locum: *Superficies prima immobilis corporis ambientis*. Salva extensione locali duorum corporum posse duo in eodem loco esse, sive penetrari Divinitus, sola impenetrabilitate ab illis ablata, doctrina est Angelici Doct. (1) quam ferè omnes amplectuntur, si unum excipias Durandum: unde nescio, quo ducti fundamento Thomistarum nonnulli hancce penetrationem non aliter possibilem autumant, quam prius ab uno corporum extensione impedita. Ergo à D. Thomæ doctrina recedunt? Recedunt itaque, totoque distant abs dubio Cælo. Idem Corpus circumscriptive in pluribus locis collocare, Divinæ itidem Omnipotentiaè impossibile adfero. Neque naturaliter, neque Angelorum vi Vacuum, sive coaservatum, sive disseminatum, in Universo introduci quit. Solus ille, qui legibus non tenetur à se constitutis, vacuum introducere potest. De tempore acturus merito possem cum Augustino præfari (2) nihil me magis nosce, ac experiri, nihilque magis mihi esse explicatu difficile. Aliqualem tamen ipsius notitiam tradidit Aristoteles, dum ejus naturam explicaturus alloquitur ita: *Numerus motus secundum prius & posterius*. Si libet explicationem repetere deprehendes, fortè obscuriorem, haud esse diffinitionem diffinito. Esto plura sint tempora particularia, & intrinseca, est tamen unicum tempus universale, & extrinsecum, motus scilicet primi orbis, à quo motus omnis mensuratur. Triplex genus durationis agnosco, Æternitatem, Ævum, ac tempus. Et hæc de Physica generali.

## PHYSICA PARTICULARIS. MUNDUS IN COMMUNI.

§. XXXVI.

**P**erspicius rerum postulat ordo, adcurataque cognitionum requirit series, ut communia primum, ac universalia contemplati, in particularia descendamus. Occurrit primitus Cosmologia, scientia nimirum

G

de

(1) In 4. sen. dict. 44. quæst. 2. art. 2. § (2) Lib. 11. conf. cap. 14.

de *Mundo*, omnia in sinu suo sensibilia complectenti, quem Aristoteles (1) definivit: *Compages constans ex Cœlo, elementis, & iis naturis, quæ his continentur.* Non *Mundus* ille archetypus, & idealis in mente Divina existens, quem *Saculum invisibile* adpellavit Paulus, (2) sed *mundus* exemplatus, quem Deus ad extra produxit, diffinitur. Acriter agitatum fuit inter Antiquos, sitne una, vel multiplex compages illa corporum, quæ mundi nomine designatur. Finitos numero esse, dixere plerique. Alii infinitos posuerunt: qua de re Anaxarchum edifferentem cum audiret Alexander, collacrymatus ad amicos doloris causam rogantes, *at non, inquit, dignum nos flere, si cum mundi sint infiniti, nondum unius domini sumus?* Hanc sententiam timidè à Veteribus pronuntiatam magna asseruerunt, ut certam Epicurei confidentia. Ego vero, quamquam possibilitatem concedam plurium, ut ex hoc infinita Dei commendetur potentia, de facto tamen unicum esse, constanter teneo, atque ex scriptura, quæ unius tantum creationem memorat, colligo. Adeo perfectus est, ut nihil ei desit, ut sit omnibus numeris absolutus. Omnium fere Philosophorum censura vapulat Aristoteles, quod *Mundum* posuerit ab æterno. Ubique hanc docuisse sententiam fateor, eam tamen, ut demonstratam non habuisse, totis viribus defensabo. In tempore factum fuisse prædicat Scriptura, quæ *Mundi* creationem, & initium apertè tradit. Ventum est ad annos numerandos, qui à creatione *Mundi* usque ad Christi natalem fluxere. Non me latet Ecclesiam in Martyrologio septuaginta Interpretum supputationem amplectere. Scio aliter vulgatam nostram determinare. Quid ipse elegerim, abundè prodam rogatus. Si mundi natalia ad tempestatem referas Autumnalem, probabilem tenebis opinionem; probabiliorem vero, si ad vernam, Sole existente in Ariete.

## COELUM.

### §. XXXVII.

**C**OElestium corporum substantia, tam incomperta est nobis, tamque sensibus nostris inexplorata; ut vix quidquam de ea certò conjectari valeamus. Spes foret aliqua hac de re quidpiam discendi ex Scriptura Sacra: Verum vix quidquam liquido determinat. Ut tamen de re præclarissima, quantum à mortali, terrestrique homine æstimari potest, dicamus; age, videamus Antiquorum placita; & quid ratiociniis nostris consequi valeamus. Omnium ferè Veterum communis opinio fuit, Cœlorum substantiam ab Elementis non differre, sed potius ex Elementis ipsis constare. Sic Anaxagoras ab Aristotele reprehenditur, quod Cœlum omne igneum dixerit (3) Anaximenes ex ignea, ac terrestri conflatum adseruit. (4) Recentiores autem Cœli substantiam existimant ex tenuissimis, mobilibusque particulis esse compositam, quam *ætheris* nomine communiter adpellare solent. Ego vero cum unico, ac ferè singulari Aristotele

Cœ-

(1) Lib. de Mund. cap. 2.

(2) Hebr. 11. 11. 12. 13.

(3) Meteor. 1. cap. 1.

(4) Corin. 3. part. disp. 2. cap. 1.

Coelorum, ac Siderum substantiam ab Elementis diversam teneo, aliterque naturæ longè perfectioris. Nec mihi ita autumanti SS. PP. quamplures opponas, qui Coelum aqueum, seu ex aqua factum dixerunt. Hac enim in re majorem authoritatem, quam Philosophis, quos sequuti sunt, haud tribuo. Novi Anaxagoram ab Atheniensibus exilii plexum poena, quod Solem dixerit esse lapidem ardentem, eique Divinitatem, & vitam denegaret. Ecce quantum apud Antiquos Persas, Græcos, Romanos invaluit opinio animam corporibus adtribuens cœlestibus. Sed contra hos omnes cum communi, ac maturiori sententia, corpora cœlestia non esse animata adfirmo, nulliusque operationis vitalis capacia pronuncio. Naturaliter incorruptibilia sunt, nec minimæ adhuc subjacent corruptioni. Esto ponerentur fluidi, incorruptibilitatem conservarent illæsam. Ut probabilius teneo, Cœlos esse solidos; & quamvis plerique jactent, soliditatem Coelorum stare non posse cum Phænomenis ævo nostro, cum ope Telescopii, tum Astronomorum recentiorum solertia exploratis; ego cum clarissimo Viro Joanne Dominico Cassino splendidissimo Astronomicæ scientiæ lumine, nullum hæcenus audivi observatum Phænomenum, Systemati soliditatem Cœlis tribuenti manifestè repugnans. Numerum Cœlorum determinabo, cum de Systemate agam mundanorum Corporum.

## SIDERA IN UNIVERSUM.

### §. XXXVIII.

**N**on aliud magnificentius quæsierit quispiam, aut didicerit utilius, quam de stellarum, siderumque natura, (1) qui sit illorum numerus, magnitudo, motus. Et quidem quantum ad naturam sidera esse corpora incorruptibilia defendo, opaca, densiora, cæteris cœli partibus nobiliora. Alia sunt fixa perennem in suo situ, ac cursu æquabilitatem tenentia; alia errantia, seu Planetæ, quæ nullam constantem dispositionem observant, sed propriis cursibus vagantia, nunc illi, nunc isti se adjungunt. Tribus characteribus præcipuè discernuntur Planetæ à fixis, de quibus, cum volueris, loquar. Difficile est prorsus, & impossibile stellarum numerum definire, quarum multitudo *innumerabilis* dicitur ab Aristotele (2) *imperscrutabilis* à Theophrasto (3) *incomprehensibilis* à Chrisippo, *infinita* à Ptolemæo, à Sacris Litteris soli Deo cognita, qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat. Cæterum, quæ nudo oculo cœlo sereno omni tempore micantes cernuntur, sunt 1022. juxta Stipparchum; 1600. juxta alios apud Plinium, 1026. juxta Ptolemæum; quæ distinguuntur, ac disponuntur in 46. constellationes, seu asterismos, in quibus illustres sunt duodecim, vulgo dicta *Signa Zodiaci*, quæ Sol per annum decurrit. Planetarum longè minor multitudo existit: Quippe septem solum numerantur, Saturnus, nempe, Jupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna. Quanta sit illorum magnitudo vix exactè determinari

po-

(1) Sen. quæst. Nat. VII. cap. 1. (2) II. de Cœl. cap. 12. (3) De Mund.

potest: unde annotante Plinio, (1) quæ hac in parte definiunt Astronomi, haberi debent, non *ut mensura*, sed *ut conjectantis animi aestimationes*. Nihilofecius quod Author noster determinat, in aperto ponam. De motu stellarum, ut verbo dicam, nemo non videt, totum eorum exercitum, spatio 24. horarum, integram conficere circulationem ab ortu ad occasum supra polos primi Orbis; sed præter istum motum communem, habent stellæ fixæ alterum peculiarum, sed tardissimum, quo, scilicet, in unica circulatione insumunt triginta sex annorum millia juxta Ptolemaum, cum alii extendant ad quadraginta novem millia. Planetæ vero moventur supra polos Zodiaci ab occasu in ortum proprio motu, quo Saturnus unicum circulationem absolvit intra annos triginta, Jupiter intra duodecim, Mars intra duos, Sol singulis annis, quem imitantur ejus affectæ Venus ac Mercurius; Luna demum singulis mensibus. Sed hoc nec ipsis Astronomis hæctenus compertum est: Quippe hac de re inter se digladiantur, antiquioresque semper à recentioribus corriguntur.

## PLANETARUM NOBILIOR SOL.

### §. XXXIX.

**T**anta est præclari hujus sideris vis, præstantia, ac divina ferè pulcritudo, ut Veteres omnes in maximam sui admirationem rapuerit; & Eudoxum præsertim, qui optare se dixit à Sole, Phaetontis instar comburi; si modo sibi ante liceret, cominus ad illum adstanti, figuram, decorem, magnitudinemque contemplari. Nec alia fortasse ratione de illius substantia certi aliquid cognosci, vel diffiniri vix posse videtur; nisi quod ille, quemadmodum oculos vehementi, & uberrima luce perstringit, ita ferè animorum aciem, & humanæ mentis ingenium eludere existimetur. Conjecturis ergo hac in parte superest locus. Veteres omnes in hoc ferè consentiunt, quod igneam esse Solis substantiam, aut igni simillimam arbitrantur. Hæc fuit celebris Heracliti, & Anaximandri sententia, qui *splendidissimam, & calidissimam flamam inesse Soli putarunt*. Conspirant cum Veteribus Recentiores. Gassendus Solem igneæ fornaci comparari posse adfirmavit. Cartesius ex particulis tenuissimis primi elementi perenni, celerrimoque motu agitatæ conflatum existimavit. Nec defuere, qui SS. PP. præcipuè Basilium in suas trahere partes conarentur. Ego vero Soli concedo esse corpus cœleste, ab intrinseco incorruptibile; inanimatum, solidum, opacum, Planetarum medium, temporum dispensatorem, diem accessu, noctem causans recessu; igneam vero naturam ei non tribuo, nec calidum judico formaliter, sed tantum virtualiter. In Sole ipso maculas gigni, compertum est, in tanta aliquando copia, ut integro anno ejus splendorem obscuraverint, uti contigit, occiso Julio Cæsare, Antoniano bello, teste Plinio lib. 2. cap. 30. Fateor ex his maculis non leve argumentum peti, mirèque Peripateticorum ingenia tor-

que-

(1) Lib. 23.

queri, novi. Non in Sole ipso, sed in supremo aere has maculas esse, atque exhalationum congeries Solis motum sequentes, contendunt aliqui. Sed mihi videtur, esse densiores quasdam cœlestium sphaerarum Soli viciniorum partes, quæ, ignotis circuitibus, dum Solem inter & nos incurrunt, ejus splendorem infuscant. Apage ergo fabulas Kirkeri, & aliorum, Solem esse, ut igneum mare, inquietum, spumosum, undosum, fumosum, atque hinc maculis infusari.

## SATURNUS, JUPITER, MARS, Mercurius.

### §. XL.

**P**lanetarum omnium supremus est ille, quem *Nemesis sidus* Ægyptii, nos vero Saturnum dicimus. Aliis sideribus communes, ac supra memoratæ dotes abs dubio conveniunt illi. Dum nudis sese exhibet oculis, stellarum ad instar primæ magnitudinis adparet; at, dum oculo Telescopio armato conspicitur, cum corpore exactè globoso deprehenditur. Hocce habet speciale, ut quasi annulo ambiatur ad modum alæ pilei, resecto prominenti fastigio, cui caput inseritur. Hic annulus modo tantisper explicatus apparet, modo explicatior, quandoquidem cum magna explicatione. Circa hujus annuli naturam non unum est Astronomorum placitum. Mihi vero Divinæ Providentiæ leges ignoranti liceat clamare cum Plinio (1) quamplura esse, ac fieri *incerta ratione, & in naturæ majesticate abdita*. Nihilominus cum D. Joanne Carolo Gallet, Præposito Ecclesiæ S. Symphoriani Avenionensis, Viro ingenio, eruditione, ac cœlestium rerum observatione clarissimo censeo, annulum hunc non esse corpus, sed luminosum circulum, ex radiis Solis sparsim à globo Saturni reflexis productum. Sequitur post Saturnum Jupiter, illustre sidus, atque longe amplioris, clariorisque formæ, quam sit fixarum etiam primæ classis; præcipuè verò, cum in oppositione Solis existens, præclarissimè, splendet inter omnia sidera. Cum inspicitur per exquisitoria Telescopia insigniter grandescit, non uniformem exhibet faciem, sed quibusdam, quasi nigricantibus fasciis, seu umbrosis lineis intersectam. At quod longe præclarissimum est, regium illud sidus satelites habet, id est, quatuor minores stellulas ipsum perpetuo comittantes, atque ob id dictas *Jovis Affeclas*; de quarum motu, nominibusque plurima dicam. Nihil occurrit insignius dicendum de Marte, & Mercurio ex observationibus Telescopio factis, nisi quod Mars itidem revolvatur supra proprium axem, maculosusque, ac aliqua sui limbi parte luce orbatus nonnumquam conspiciatur.

H

VE-

(1) Lib. 2. cap. 37.

# VENUS, LUNA, ISTIUSQUE, ET SOLIS ECLIPSIS.

§. XLI.

**P**ulcherrimum est Veneris sidus, quod ab Ægyptiis *Isidis Stella* vocatum accepimus. Hæc enim non insigni solum splendore, puriorique luce minores alios Planetas facilè antecellit, sed variis phasibus decoratur, ut æmula Solis, & Lunæ merito habeatur. Hæc eadem aliquando Solem præcedit, unde *Phosphorus* à Græcis, *Lucifer* à Latinis appellatur, aliquando Solem ipsum proximè ad vesperam sequitur, unde *Hesper*, *Vesper*, *Vesperugo* dicitur. Telescopio debemus pulcherrimam illam observationem, qua deprehensum fuit, hanc stellam habere easdem propè fases cum Luna, conspicique nunc corniculatam, nunc falcatam, nunc bisectam, nunc extuberantem, nunc plenam: nempe, prout variè ad Solem sita, variè quoque ab eo collustratur. *Omniùm admirationem vincit novissimum sidus. Terrisque familiarissimum, & in tenebrarum remedium à Natura repertum, Luna.* (1) Nihil præclarius, curiosiusve, quam quod de hoc sidere nobis Telescopium detexit: Quippè, cum cæteri Planetæ ob enormem distantiam adhuc valde exigui, confusive adpareant, Luna adeo grandescit, distinctaque conspicitur, ut liceat in vastissimo corpore integras, ut ita dicam, regiones distinguere, atque insigniores ejus partes exactè observare. Sed *mirum, quo procedat improbitas cordis humani, parvo aliquo invitata successu?* (2) Etenim eo impudentiæ ventum est, ut jam sylvæ, montes, rupes, campi, lacus, flumina, maria, urbes, animalia, arbores in Luna conspici dicantur; jacteturque ideò mundus ille Lunaris similis prorsus nostro; atque exinde funditus everti, quidquid Peripatetici de natura corporum cœlestium constituere. Apage tamen fabulas aniles, absurdasque hariolationes: Quin potius age tantisper serio dicamus, ecquid hac de re à cordatioribus observatum est. Duo macularum genera cernuntur in globo lunari; quædam grandiores, & perennes semper in ea observabiles; aliæ minutiores, & extemporaneæ, quæ in Luna crescente, vel decrescente observantur. Maculæ iste fugaces, & ad varium Solis aspectum variantes, sunt umbræ à prominentioribus partibus projectæ in depressiores. Illæ vero grandiores, perennes haberi possunt, ut partes rariores minus valentes lucem reflectere, atque ob id nigricantiores, aut etiam, ut partes ex natura sua talis quasi coloris. Cum Luna in conjunctione ita Soli supponitur, ut mediet inter terram, & Solem Eclipsis Solis contingit. Ergo tanto major est Eclipsis, quanto magis Luna in Solem incurrit. Numquam datur Eclipsis Solis respectu totius terræ. Eclipsis Lunæ fit è contra, cum ea in oppositione existente terra media inter illam, & Solem occurrit. Eò est major, & diuturnior, quo tunc Luna terris est magis perigæa. Incrementum, decrementum globi Lunaris aperiam libentissimè.

COR-

(1) Plin. II. c. 9.



(2) Plin. ibidem.



## CORPORUM COELESTIUM INFLUXUS, Planetarumque virtus.

### §. XLII.

**D**Uæ diametraliter versantur oppositæ sententiæ circa siderum in hæc inferiora influxum. Una sidera non magis in hæc inferiora influere tenet, quam gestata manu facula per noctem. Altera è contra, usque ad ineptiam exaggerat corporum coelestium vim; adfirmatque nihil fortuitum, seu liberum apud nos esse, quod non omnino pendeat ex Cœlorum influxu. Ita Astrologi, vulgo *Judicarii*; & mirum, quo impudentiæ ventum sit: etenim miseri homunciones, iique persæpè minus sani capitis, futurorum divinationem, Deo reservatam, audacitè adfectant. Sed nihil adtinet, hic referre, quam ineptis, quam captiosis, quam superstitiosis, quam sibi repugnantibus regulis, tota ars nitatur; neque enim vocat, prolixas nugas seriis miscere. Indubitanter teneo cum D. Thoma, (1) corpora coelestia validissimè agere in hæc inferiora, non tantum per lucem, & calorem ex ea consequentem, sed itidem per alias virtutes, quæ sensibus percipi nequeunt. Cœli directè non agunt in voluntates hominum; possunt tamen aliquid in illas indirectè. Ergo ex inspectione siderum nihil certi haberi potest circa eventus liberos? Utique: Merito enim ab Ecclesia impudentia Judiciorum circa liberos eventus damnatur, ut quæ non modo superstitiosa est, sed etiam fatua. Quantum ad pluvias, grandines, aliasque sublu-narium mutationes, quæ nec à libertate, nec à tam minutis pendent circumstantiis, ea quidem certius prævideri possunt. In iis tamen quam mendaces, quam ignari! *Mendax*, ut *Astrologus* est vulgare Proverbium. Ne penitus propriam cujuslibet Planetæ taceamus virtutem, has cuilibet doctes distribuo. Saturnus frigidus ficcus; Jupiter calidus, humidus; Mars calidus ficcus; Sol calidus ficcus, propitius tamen, ut cujus calor benignior, ac vitæ amicus existit; Venus humida frigida; Mercurius versatilis: Luna demum humida frigida. Quid quilibet inspiret, cui dominatur, complexioni. Dicam rogatus. Cave tamen, ne plus æquo huic determinationi nostræ indulgeas; quæ enim à cordatioribus Astronomis audivimus, hæc retulimus.

## VIAE MOTUUM COELESTIUM, seu Sphæra.

### §. XLIII.

**T**Ota mobilium Cœlorum Machina, cum sit Figuræ rotundæ, constituit globum, seu sphæram, quæ à Mathematicis diffinitur: *Corpus solidum una superficie contentum, cujus lineæ omnes à centro ad circumfe-*

(1) 1. p. q. 115. art. 3.

*ventiam ducta sunt æquales.* In hac sphaera cœlesti designantur duo Poli: unus quidem *Arcticus*, alius *Antarcticus*; & Linea ducta ab uno ad alterum Polum vocatur *Axis* Mundi. Circa hos Cardines, supra hunc Axem perficitur motus diurnus. Designantur præterea in sphaera cœlesti decem circuli, sex majores, qui secant totam sphaeram in duas partes æquales; quatuorque minores, illam dividentes in duas inæquales. Circuli majores sunt *Æquator*, *Zodiacus*, *Meridianus*, *Colurus Solstitiorum*, *Colurus Equinoctiorum*, & *Horizon*. Minores sunt *Tropicus Cancri*, *Tropicus Capricorni*, *Circulus Arcticus*, & *Circulus Antarcticus*. *Æquator*, qui per antonomasiam à nautis vocatur *Linea*, æqualiter distans à Polis, dicitur *Æquinoctialis*, quia dum Sol est in tali circulo, ubique terrarum dies sunt æquales noctibus, quod bis contingit in anno; scilicet die 20. Martii, & 22. Septembris. *Zodiacus* est circulus sphaeram dividens in duas partes æquales; ac *Æquatorem* obliquè secans; ita ut altera sui parte accedat ad Polum Arcticum, altera ad Antarcticum, recedendo à Linea ad usque viginti tres gradus, & dimidium circiter. Hoc in circulo sunt duodecim illæ constellationes, quæ dicuntur *signa Zodiaci*, quæ Sol singulis decurrit annis. Hæc signa nominibus ab Astronomis decorata, dum volueris, nominabo. Insuper, dato quolibet anni mense, assignabo diem, in quo Sol proprium signum talis mensis ingreditur. Demum; ad signa mihi quemlibet anni diem; & numerabo gradum signi, in quo Sol illo die reperitur. Habet *Zodiacus* latitudinem duodecim graduum, in qua Planetæ vagantur; ita tamen, ut Sol semper teneat medium *Zodiaci*, id est, *lineam*, ut vocant, *Eclipticam*; sic dictam, quod dum Luna in Plenilunio, vel Novilunio est, in tali Linea contingat Eclipsis: In Plenilunio Eclipsis Lunæ, in Novilunio Eclipsis Solis. Ex quo infero, Eclipsim Solis, quæ contigit patiente Christo, non fuisse naturalem. Si quæras, cur non fiat Eclipsis in singulis Noviluniis, ac Pleniluniis? Habebis à me verba. Quæ hucusque diximus, & quæ dicenda restant de cæteris circulis clariora fient, faciliorique via explicabuntur, ante oculos posita artificiali sphaera, cujus nos non inelegantem habemus figuram.

*Pariter, artificiali terrestri globo oculis subjecto, de elementis Geographiæ, de circulis terrestribus, de Zonis, de trina sphaera positione, de longitudine, ac latitudine Locorum, de elevatione Poli, de Mensuris, ac de vocabulis quibusdam in Geographia usitatis, plura, data occasione, dicemus.*

## MUNDUS ELEMENTARIS.

### §. XLIV.

**A** Gam hic de Elementis, ut sunt Universi partes; acturus alibi de ipsis; ut sunt mixtionis principia. Et quidem communem Peripateticorum doctrinam circa Elementorum numerum amplectar; quatuorque illa recipiam vulgata, Ignem, Aerem, Aquam, Terram; quorum duo priora levia, duo posteriora simpliciter gravia sunt. Sed dum ad ordinem,

nem, & situm, quem in universo obtinent elementa, præcipuè ignis, statuendum accedo, quo me vertam, nescio; nam Aristotelem ipsum Peripateticis haud quaquam favere, prædicant Recentiores. Quare, esto communem Peripateticorum sententiam, sphaeram ignis in Concavo Lunæ locantem, in quam Author N. propendere visus est, teneam, certe persuasus sum, eam de Aristotelis mente non esse; idque testimoniis ex ipso deductis confirmare paratus sum. (1) Nullum ex Elementis illis, quæ nobis adparent, sunt in sua nativa puritate. In tres regiones, supremam, infimam, & mediam aerem divido. Aquarum aliæ sunt pluviales in aere penfiles, aliæ imbibuntur à terra; aliæ propriè constituunt elementum aquæ, quod dividitur in Mare, Lacus, & flumina. Mare omnium fluminum receptaculum, dividitur in Oceanum, & Mediterraneum, Ab Oceano circa Daniam derivatur Mare Balticum, circa Arabiam ex parte Africæ Rubrum, circa Persidem finus Persicus. Mare Mediterraneum ab Oceano originatur per fretum Gaditanum, vulgo *Gibraltar*; à Mari Mediterraneo Pontus Euxinus per fretum, seu Bosphorum Constantinopolitanum. Terra dividitur in ignotam, & notam. Ignota est, quæ jacet sub Polis, maximè sub Polo Meridionali. Nota dividebatur olim in tres partes, Europam, Asiam, & Africam. Novam partem tribus aliis propè æqualem, circa annum 1491. detexit Columbus, quam *Americam* vocant. Sed jam modum facimus. Si vis, harum quatuor partium Mundi adsignabo populosiora, ac celebriora Regna; addamque nomina nonnullorum Regum, & Imperatorum, quibus parent.

## SYSTEMATA MUNDI.

### §. XLV.

Situm, & dispositionem, quam servant in Mundo Corpora, de quibus dictum reor plusquam satis, explanare pergo. Id verò molientibus, præ oculis esse debet illud, non uni Jobo, sed omnibus simul terræ Incolis à Deo dictum, *nunquid nosti ordinem cæli, & pones rationem ejus in terra?* (2) Non ut à jucundissima tanti spectaculi contemplatione avocemur; sed ne in re adeò nobis incomperta præfidentius aliquid decernamus; meminerimusque semper, & tenuitatis nostræ, & potentiæ, ac magnitudinis Dei. Ut igitur de re tam inexplorata sobriè dicamus, tria Mundi Systemata, quæ præ cæteris evassere celebriora, à suis Authoribus, aut veriùs reparatoribus nuncupata, *Ptolemaicum* nempe, *Copernicanum*, & *Thyconicum*, proponemus. Omnium eorum explicationem promitto; & quomodo in unoquoque mundana Corpora disponantur, monstrabo; omnia enim, & singula hic exarare, vitandæ prolixitatis causa prohibeor. Reliquum erat, ut inter hæc tria Mundi Systemata illud amplecteremur, quod veritati magis congruum, ac rationi consentaneum videretur. At quia, ut ait Lactan. (3) *non certi constat, quis verum dixerit.*

I

Po-

(1) 1. Met. cap. 4. & 11. Met. cap. 11. § (3) Div. Inst. 3. cap. 3.

(2) Cap. 38. v. 33.

*Potest fieri, ut omnes ex parte aliqua erraverint, ex parte attigerint veritatem. Stulti ergo sumus, si hoc disputatione queramus.* Nos itaque tantum abest, ut singulare aliquod systema complectamur, quin potius omnium explicationem, ut jam promissimus, ita dabimus, ut nullum cogamur defendere. Hoc unum pronuntiandum audeo, vel quod omnia Phænomena à cordatioribus Astronomis ævo nostro explorata sunt penitus spernenda; vel Systema Ptolemaicum defendi non potest, nisi cum aliquibus emendationibus, quas aperire non renuam.

## GENERATIO, CORRUPTIO, ET Alteratio.

### §. XLVI.

**C**ORRUERET abs dubio Aristotelicorum de primævis rerum principiis Systema generationis substantialis existentia rejecta. Hac ergo adversus quoscumque Veteres, sive Recentiores supposita, ipsius naturam non aliter enucleandam judico; quam per *Transitum de non esse ad esse substantiale*. Corruptio generationi opposita rectè explicatur, per esse *Transitum de esse ad non esse substantiale*. Duas esse mutationes teneo, unica tantum actione peractas; unde commune Axioma, *Generatio unius est corruptio alterius*. Formam substantialem terminum quo partialem generationis agnosco, naturam totalem terminum quo totalem, suppositum seu personam terminum qui; proprietates demum terminum secundarium. In corruptione substantiali non solum nulla remanet forma substantialis veteris compositi, sed nec ullum accidens; ut dum moritur homo, recedente anima rationali, omnia recedunt, si unam excipias materiam. Ingenium naturæ est à minoribus mutationibus viam sibi quærere ad majores. Sic mortem hominis præcurrunt morbi, mutuus humorum conflictus. Non aliter ergo ad generationem, & corruptionem quidam præcedunt motus minores præparantes materiam; inter quos primum obtinet gradum alteratio, quæ, licet multifariam usurpari soleat, propriissimè pro mutatione ad quantitates ad corruptionem disponentes accepta, hujus est loci. Minus propriè dictas alterationes in instanti fieri non inficiar, cum videam, orto Sole, vel amoto corpore opaco, aerem subito illuminari. Ast propriè dictas motus esse successivos constanter affirmo. Tres vulgo circumferuntur Alterationis species; *alteratio specialiter dicta, intensio, ac remissio*. Displicet quorundam opinio qualitates intendi per depurationem à contrario adferens. Haud placet Durandus, qui intensiorem fieri arbitratur per destructionem veteris imperfectæ, & substitutionem novæ perfectioris; neque adhærebo illis, qui qualitatem de genere continuorum autumantes, & cum quantitate confundentes, ipsam intendi putant per additionem partis ad partem. Unicè cum D. Thoma intensiorem fieri adfirmabo per *majorem radicationem in subjecto*.

## §. XLVII.

**L**iceat Aristotelis assumere verba, ut natura mixtionis clarius innotescat: *Unio miscibilium alteratorum, & contemperatorum*. Hanc definitionem pro modulo nostro explicabo. Heinc collige primo, mixtionem non esse propriè motum, quamquam is præcedat, sed potius terminum motus alterativi, nempe unionem miscibilium ex motu constitutam. Secundo, mixtionem aliam dici perfectam, cum scilicet miscibilia in unam naturam reipsa uniuntur; aliam imperfectam, cum propriam retinent naturam, esto ad sensum novum quid exhibeant. Tertio, oportere miscibilia dividi in minima, quo facilius alterentur; agere ad invicem, ac pati, quo se mutuo atterere valeant; & esse inter se quadantenus contraria. Hæc de mixtione apud omnes sunt rata: sed an in perfectis mixtis formæ miscibilium remaneant, dubium est, in cujus resolutione non una est Physicorum sententia. Incolumes prorsus manere in mixto elementares formas censuit Avicenna. Averroes contendit, manere quidem fractas tamen, & imminutas. Ego vero, & formas elementorum in mixto perfecto nullatenus perseverare defendo; & contra P. Honoratum Fabri sustineo, formam mixti, saltem perfecti, non esse meram contemperacionem elementorum, sed distinctam ab iis entitatem absolutam, & substantialem. Quid ergo ex elementis, inquires, remanet in mixto? Nihil aliud, dico, nisi elementares dotes. Ergo elementa unicè remanebunt virtualiter? Utique.

## ELEMENTA, EORUMQUE QUALITATES.

## §. XLVIII.

**P**AUCA nobis dicenda de elementis supersunt, cum plurima jam fuerint alibi dicta. Juberit ergo quædam hic solum exponere, quæ hujus sint loci propria. Ergo elementum, ut inde exordiamur, est: *Corpus simplex, ex quo mixta primitus constituuntur, & in quod resoluta ultimo abeunt*. Quatuor esse, & quæ de ordine, partibusque Universi diximus, & combinationes primarum qualitatum, caloris, scilicet, frigoris, humiditatis, & siccitatis, rectè suadent. Quomodo singulis primæ hæc qualitates distribuuntur, audies, si roges. In motu locali, celeri, expansivo, ac perturbato partium insensibilium essentiam reponere caloris, esto Cartesio placuerit, haud quaquam arridet; neque adhærendum puto, eis, qui ab ignis forma, seu substantia non distinguunt; unicè rectè explicari judico per esse, *qualitatem primam, quæ heterogenea separat, & homogenea congregat*. In quo ergo contraria calori sita est frigiditas? In quiete partium esse positam diceret Cartesius. In pura privatione caloris tenent nonnulli. Sed quinam Peripateticorum hæc non horret opiniones? Subscribo ergo Aristoteli.

stotelicis utroque pollice, dum ajunt, nihil aliud esse quam primam qualitatem simul heterogenea, & homogenea congregantem. Quod propriis terminis agrius, alienis facilius continetur, diffinitur humidum. Vice versa Siccum: quod facile propriis, alienis agrius se accommodat terminis. Scio aliquos existimare, siccitatem esse meram privationem humiditatis: at eodem jure dici posset, & fortè potiori, humiditatem esse privationem siccitatis. Utramque vero esse positivam qualitatem est meum judicium. Valde foret prolixum, qualitates secundarias cum elementorum, tum mixtorum velle adnumerare, ac explanare; iccirco omitendas judico.

## TEMPERAMENTA MIXTORUM animatorum.

### §. XLIX.

Quum cætera animantia intra eandem speciem minus complexionem variant; & quæ sunt unius speciei, fermè ejusdem sint complexionis, ut omnes perdices, vulpes, bobes, asini, cet. in hominibus tanta complexionum relucet diversitas, ut ejusdem omnino temperamenti, ac genii vix duos reperias. Hanc varietatem natura induxisse videtur, ut ex illa variorum temperamentorum mirabili mixtura, veluti in musica ex diversis fonis, pulcherrima quædam harmonia in societate humana resultaret. Duplex complexionum genus vulgò distinguitur: altera dicitur *ad pondus*, seu *uniformis*; altera verò dicitur *difformis*. Dum ita temperantur qualitates, ut nulla insigniter prævaleat, sed omnes sint, quasi in æquilibrio, erit *uniformis* complexio: quum vero una dominatur aliis, adpellatur *difformis*. Nollo hic digladiari cum Medicis, sit, vel non sit complexio possibilis *uniformis*; dummodo mihi concedant, rectè vocari temperamentum *ad pondus*, non in quo nulla omnino qualitas prævaleat, sed in quo nulla insigniter dominatur; nam parum pro nihilo reputatur. Quadrifidum resultat temperamentum difforme juxta quadruplicem elementorum divisionem, scilicet, Biliosum, in quo dominatur ignis; sanguineum, in quo dominatur aer; phlegmaticum, in quo dominatur aqua; melancholicum, in quo terra. Quodlibet habet suas virtutes, ac defectus, de quibus, si placeat, prolubenter edisseram. Omnibus præfertur ab Aristotele complexionibus melancholia per bilem accensa, vulgò *atrabilis*, quam Favorinus Philosophus *heroicam* vocavit *complexionem*; quod sit ad animi magnitudinem, & ingenii sublimitatem omnium optima. Hæc, Aristotele teste, regnavit in Hercule, Alexando, Socrate, Platone, & aliis. Sed istius complexionis, ut magnæ sunt virtutes, ita quoque dum exedit, sunt ingentia vitia. Si enim melancholia non solum per bilem accendatur, ut luceat, sed etiam multum aduratur, causat furorē, ac maniam; aliosque ingentes morbos. Sic Hercules epilepsia laboravit. Alexander furore correptus omnes ferè occidit amicos; ac violentas sibi tentavit inferre manus. Ergo quam bene! *Corruptio optimi pessima.*

MIX-

## MIXTA INANIMATA, SEU Fossilia.

§. L.

**F**ossilia, seu Mineralia sunt, quæ in terræ visceribus concresecunt, atque inde eruuntur. Ad tres classes reduci queunt, lapides, metalla, & quæ vulgò commune nomen retinent, ac Fossilia, seu Mineralia vocantur. Horum omnium materia est aqua; effectrix causa est, tum internus viscerum terræ calor; tum externus Solis, ac siderum, quo proprius appulsi variè modificantur; tum demùm insita quædam vis varia variis terræ locis, quæ veluti matrix ad hos foetus haud mediocriter cooperatur. Heinc ex Arist. & S. Thomæ, omnium, quæ in terræ visceribus nascuntur, terra quidem, & aqua, veluti mater, præbet materiam, & finem; sed cœlum, & astra sunt, veluti pater, inducens formam. Ergo lapis, ut ad rem veniamus, describitur, *Corpus durum, quod neque est ductile, neque aqua exsolvitur, neque per se est liquabile.* Concresecit ex halitu terreo humore aquæ diluto, qui prius addensatur in liquorem, ac deinde humido digesto, & à sicco terreo fixato, in durum corpus evadit. Quum hic humor crudior est, ac crassior, & dum concresecit, crudæ terræ multum comprehendit, ex eo fiunt vulgares lapides, quorum alii rudiores, alii politiores pro hujus halitus qualitate, ac terrestri pulveris, aut arenulæ, quam concresecendo corripit, conditione. Pretiosi lapides eadem ratione concresecunt, sed ex succo puriori percolato, digesto, ac ab omni crudæ, & impuræ terræ admixtione defæcato. Hinc assignabo rationem, cur in quibusdam gemmis muscæ, formicæ, & alia istius generis conclusa reperiantur. Metalla sunt corpora dura, liquabilia, & ductilia: Nam & malleo duci, & igne liquari queunt. Metallorum septem vulgò species recensentur; Aurum, Argentum, Stannum, Plumbum, Ferrum, (cujus chalybs est quædam purior species) Æs, & Mercurius, seu Hydrargyrus; quamquam hic propriè metallum non sit: Cæteris præstat multis dotibus Aurum. Præter lapides, & metalla eruuntur è terræ visceribus innumeri alii succi concreti, sub communi Fossilium nomine comprehensi, ut Cerussa, Ocre, Bitumen, Sandaracum, Camphora, Arsenicum, Cæcto terrestris, Alumen, Vitriolum, Sulphur, Sal; de quibus singulis dicere, longius foret.

## COMETÆ, FULMEN, FULGUR, Tonitrù, aliaque ignea Meteora.

§. LI.

**C**elebris fuit opinio Aristotelis, (1) qui, cum cœlestia corpora incorruptibilia dixerit, Cometam nihil aliud esse arbitratur, quam ter-

K

re-

(1) 1. Met. cap. 7.

restres exhalationes ; puriores nempe , & subtiliores terrestri substantiæ partes , aut ingenito calore Telluris , aut solaribus radiis in supremam Aeris regionem evehæ , à radiis ipsis solaribus accensæ , sideris in morem effulgeant. Hanc fuisse Stoicorum opinionem testatur Seneca. (1) Sed longè nobiliorem esse Cometarum originem , ac naturam Veteres alii , Recentioresque Philosophi suspicantur. (2) Quam opinionem ab Aristotelis usque temporibus vetustatis , ac ingeniorum incuria obsoletam , ab interitu illustriores Astronomi nuperrimè vindicarunt. Ego vero nec ab Aristotele discedere audeo , nec observationibus peritiorum Astronomorum contradicere æquum duco ; quum , monente D. Thoma , in hac materia peritis in arte standum sit. Ergo cum omnibus sentio duplex genus Cometarum distinguens. Alii sunt perennia corpora in coelis ; alii sunt Meteorica in sublimi aere genita ex exhalationibus inflamatis. Cometae , qui tractum illum albicantem in longum diffundunt , dicuntur *Caudati* ; qui tractum illum minus in longum , magis in latum expandunt , vocantur *Barbati* ; qui varios circa se lucentes radios spargunt , adpellantur *Criniti*. Sunt & aliæ figuræ Cometarum. Quidam referuntur apparuisse instar gladii ; alii instar Crucis , alii alterius figuræ. Quemadmodum apud nos flammæ diversus est color in diversa materia ; in sulphure cæruleus ; in resina nigrescens ; in cera , & oleo albicans ; ita Cometarum varius est color pro varia materiæ , aut lucem reflectentis , aut ex se ardentis dispositione. Hæc , ut Plinius vocat , *terrifica sidera* significare dicuntur sterilitates , tempestates , ventos , morbos , mortes , bella , Magnatum interitus ; quamquam hos prænuntiare , ut vulgo existimatur , vix credibile sit. Deus , qui dedit dilectis suis signum , ut fugiant à facie arcus , Cometas dedisse videtur in signum iræ , & imminentium flagelorum : unde ante exidium Hierosolimitanum ingens apparuit Cometa , tantæ cladis prænuntius.

§. LII.

**F**ulgur est flamma , quæ futura erat fulmen , si plus virium habuisset. Ex hoc trito Senecæ dicto liceat mihi inferre , unam esse materiam fulguris , fulminis , ac tonitruï , exhalationem , scilicet , calidam nitro , ac sulphure foetam. Hæc involuta crassis nubibus ignem concipit , vel ex igneis particulis sese evolventibus , ac alias inflammantibus , vel calore Solis , ejusque radiis in globosis nubis partibus , ut in speculo ustorio , collectis. Hæc inflammata materia rarefcens , ac latè serpens in nube , mugitum illum edit , quem *Tonitrua* vocamus. Cum è nube subtiliores quædam halitus partes erumpunt , fit *fulgur* : At crassiores conglobatæ , & intra nubem involutæ , sunt materia *fulminis* , quod erumpit tandem , ac vibratur. Cæterum Fulguris , Tonitruï , Fulminis genesim clariùs intelliges , quum de modo , quo hæc sulphurea , nitrofaque materia in nubis capacissima amplitudine disponatur , me audieris edifferentem. Circa effectus fulminis quæri solet à nonnullis ; cur editiora loca ferire soleat ? Cur à quibusdam rebus , quasi scrupulosè abstineat ? Ut à pelle vituli ma-

ri-

(1) VII. cap. 20.



(2) Sen. VII. cap. 11.



rini, à lauro, ab aquila, à lapide hyacintho? Ad hæc omnia, dum volueris, rationem dabo. Præter hæc famosiora Meteora gignuntur alia minora ex eadem pene materia, ut stellæ illæ discurrentes, & cadentes, quas nocte serena videmus. Non sunt veræ stellæ, sed puriores exhalationes in suprema regione aeris accensæ. Ex eadem exhalatione, sed densiori, & minus pura, fiunt etiam alii Meteorici ignes circa mediam regionem aeris; ut Capræ saltantes, Dracones volantes, Faces ardentes, cet. Quæ omnia tantum differunt penes diversam materiæ dispositionem. Alia non pauca restant Meteora, ut *Castor*, & *Pollux*, vulgo *Ignis Sancti Telmi*, *Ignes lambentes*, *Ignes fatui*. Sed de his sat, superque sit.

## METEORA AEREA, ET AQUEA.

### §. LIII.

**P**Ræcipua aerea Meteora Venti sunt, quorum natura adeò est occulta, ut non Veteres modo, sed etiam Recentiores Philosophi in eorum natura explicanda non parum differant. Missa illa fabulosa opinione, seu potius fictione Poetica, quæ terram pergrande animal putans, ei pro halitibus Ventos adsignabat; recedo à Seneca, qui Ventorum naturam traditurus, *hoc interest*, inquit, *aera inter, & ventum, quod inter lacum, & fluvium*; nempe, quod, ut aqua dum fluit, fluvius est; ita ventus non est aliud, quam aer commotus, & fluens. Verosimilius ergo cum Aristotele censeo, Ventum esse exhalationem siccam, & tenuissimam, quæ discurrendo per aerem, ipsum commovet. Quatuor sunt præcipuæ divisiones ventorum, de quibus libentissimè verba faciam. Tres sunt turbines ventosi, qui appellantur communiter *Ecnephias*, *Typhon*, & *Præster*. *Ecnephias* est ventus à cavitate nubis subito erumpens, & ad ima magno impetu perflans, certissima navigantium pernicies. *Typhon*, seu Turbo est, qui non recta via, sed vorticoso impetu è nubibus erumpit. Cum ejusmodi turbinibus sese immiscet exhalatio ignita, fit *Præster*. Inter Meteora aquea primam obtinet sedem *Nubes*, quæ est vapor aqueus, in media regione aeris per frigus ibi vicens addensatus. *Pluvia* fit, dum ejusmodi nubes distillant, & resolvuntur in aquas. *Grando* est, dum cadentes pluviarum guttæ nimio frigore congelatæ, cadunt veluti grana glaciata. *Nix* fit, dum nubes nondum resoluta in pluviam, sed adhuc vopore existens, congelatur, & postea cadit in floccos candidos. *Glacies* adjungitur, quæ nihil aliud est, quam aqua nimio frigore durata. Audies, dum volueris, quid sint Ros, Mel, & Manna.

## METEORA PURE LUCIDA.

### §. LIV.

**V**ide arcum, & benedic eum, qui fecit illum: valde enim speciosus est in splendore suo: manus Excelsi aperuerunt illum. (1) En quomodo  
Di-

(1) Eccles. cap. 43.

Divinæ Litteræ Iridis pulchritudinem nobis commendant. Hujus igitur Arcus cœlestis, qui pingitur à radiis solaribus in nube pluviosa, & rorida, tanta est mixtura colorum, ut non modo tres, sed innumeri sæpè videantur; unde merito dixit Poeta. (1)

*Mille trahit varios adverso Sole colores.*

Hanc Colorum varietatem mirabilem formari, mihi persuadeo, ex luce Solari refracta, & reflexa; non pura, & sincera, sed cum admixtione umbræ, & opacitatis: Quippe ingenium est lucis, degenerare in colores, dum umbra, & opacitate admiscetur. At qua ratione fiat, ut lux solaris à nube ita reflectatur ad nos, ut diluatur umbra & opacitate, qui scire aveat, roget. Esto in colorum variabili mixtura explicanda varient Philosophi, hoc in uno, ni fallor, omnes sentiunt, colores Iridis non esse veros, inhærentesque nubi; & guttulas illas (ex quibus ad nos reflexio fit, quæque videntur esse proprium colorum subjectum) nihil amplius habere, quam alias ejusdem nubis, in quibus nullus cernitur color; nisi quod hæ potius, quam illæ dispositæ sunt, ut solis lucem ad nos reflectant cum umbræ, & opacitatis admixtione. Ergo collige, omne corpus lucidum in medio crassiusculo, & humenti, ac quasi roraranti posse formare Iridem. Lunam propriam Iridem formare, sicuti Sol, refert Aristoteles; & eam observasse testatur B. Albertus M. & Gemma Frisus coloratam illam aspexit anno 1569. Nos itidem eam observavimus paucis ab hinc annis. Alia sunt Meteora purè lucida, ut virgæ, Vorago, Parhelium, Corona, de quibus in Arena.

## METEORA MARIS, ET TELLURIS.

§. LV.

**I**Nter Meteora, seu impressiones aquarum maris nihil magis consideratione dignum, quam illa motus reciprocatio, quæ dicitur *æstus maris*, seu *fluxus*, & *refluxus*. Hic conspicuus est in Oceano, cujus aquæ singulis circiter senis horis ita versus littora fluunt, ut undique exuberent, & ripas altius tegant, etiam ad octodecim usque pedes in Belgicis oris. Deinde vero sex sequentibus horis refluunt, à littoribus recedentes, & versus altum mare sese contrahentes. Exactus marini æstus cum Lunæ motu consensus existimare nos cogit, probabile esse, fluxum, refluxumque Maris provenire à Luna. Salsedo maris causam manifestam habet, nempe, multum salis admixtum ejus aquis. At unde tantum salis habeant, in arena patefaciam. Missis variis circa terræmotus causam opinandi modis, vento, & exalationi intra terræ cavernas inclusæ adtribuo; quæ dum rarefit, & hinc inde agitur, ac vim facit, ut exitum sibi aperiat, terram concurrit. Subterranea incendia sunt ex materia sulphurea, & bituminosa intra terræ viscera accensa; ex qua foras erumpente fiunt Vulcani, seu montes ardentes; ut Ætna in Sicilia, Vesuvius in Campania.

ANI-

(1) Virg. Æn. vv. 88.

# ANIMA GENERATIVÆ.

41

## §. LVI.

**E**A plerumque solet maximarum, nobiliorumque rerum esse conditio, ut perspicatioribus etiam ingenii vires eludant, & occulta quadam caligine circumseptæ maximum quidem inquirendæ veritatis amorem in nobis existent, tenuem tamen illius inveniendæ, contemplandæque spem nobis relinquunt. Hoc sanè pluribus in locis hucusque experti fuimus; nullibi tamen clarius, & uberius effulget, quam quum Animæ natura, ac origo contemplanda nobis occurrit. *Quid enim sit Anima nondum inter Philosophos convenit; nec unquam fortasse conveniet.* (1) Turpiter erravit Epicurus, dum animam unionem atomorum quorundam subtiliorum existimavit; turpiorique errore Aristoxenus Musicus musicale veluti concentum dicens, ne (inquit Cicero) *ab arte sua discederet*; neque melioris frugis tenere sententiam Galenus animam vocans contemperationem quatuor primarum qualitatum, & Empedocles harmoniam quatuor elementorum. Sit ergo anima cum Aristotele: (2) *actus primus corporis physici organici, potentia vitam habentis.* Vel id, (3) *quo primo vivimus, sentimus, loco-movemur, & intelligimus.* Vulgatam Animæ divisionem in vegetativam, sensitivam, & rationalem optimam iudico; quatuorque modos vivendi merito fecernendos reor. In uno vivente, quantumvis omnia vitæ genera contineat, unica est anima ad omnes vitæ functiones peragendas; imò in quovis composito unicam tantum formam substantialem admitto; possibilitatemque plurium nego. Animæ vegetativæ Plantarum sunt integraliter divisibiles; sicuti & animalium imperfectorum quorundam; Leonis vero, Equi, aliorumque perfectorum indivisibiles prorsus. Animam Carnis esse in sanguine, dicitur in Scriptura. (4) Ergo sanguis perfectus vivit, & animatur.

# POTENTIÆ ANIMÆ.

## §. LVII.

**Q**UUM rerum creaturarum quædam absolutè sint propter se; quædam respectivæ, sive ad aliud, animæ potentias in harum classe collocamus. A se suam specificationem haud desumunt, sed per ordinem ad aliquid extrinsecum, ad quem, ut ad finem ordinantur, specificari teneo. Rationem specificativi proximi potentiæ actui proprio adtribuo; remoti vero objecto suo. Quinario clauduntur numero genera Potiarum animæ, vegetativum, scilicet, Sensitivum, Intellectivum, Appetitivum, Loco motivum. De his, ut tantisper dicamus, potentia vegetativa apud me audit: *Principium proximum transmutandi alimentum in substantiam viventis.* In tres species vulgò partitur; Nutritivam, Augmentativam, Generativam. Hæ sunt principales, queis veluti Mini-

(1) Lact. apud Corfinum, tom. 4.

(2) Lib. 2. de Aña, cap. 1.

(3) Ibidem cap. 2.

(4) Levit. 7.

stræ inserviunt Attrahens, Retens, Concoctrix, Expultrix. *Vis conversiva alimenti in substantiam aliti* est, Nutritiva facultas; nutritio vero: *illius in hanc conversio*. Ergo erravit Lombardus Sententiarum Magister, dum nihil alimenti verti in substantiam hominis adfirmavit. (1) Motum continuum solis viventibus proprium nutritionem voco. Facultas augmentativa enodatur optimè: *Principium proximum vitalis augmenti*; augmentatio vero: *Motus vitalis à minori ad majorem quantitatem*; quæ toto vitæ decursu vigere non credo. *Origo viventis à vivente à principio vita conjuncto in similitudinem naturæ*, est communior generationis viventis finitio, adaptabilis itidem Verbi Divini generationi ineffabili. Hanc viventibus perfectis esse naturalissimam mihi Aristotelis, & D. Thomæ momenta suadent.

## PLANTARUM NATURA, ET Species.

§. LVIII.

**E**O infantiæ devenerunt Manichæi, ut rationalem animam plantis tribuerent; quas proinde lædere, ac florem, fructum, ramulumque violenter confringere, quoddam homicidii genus esset. Tribuitur Anaxagoræ, & Empedocli sententia Plantis animam, nedum vegetativam, sed itidem sensitivam concedens; Stoicis vero opinio omnem animam, ac vitam eis denegans; non secus ac metallis, & lapidibus. Ego vero medius inter hæc extrema ero; Plantisque animam vegetativam, ac vitam donabo; sentire inficiabor. Plantarum species ita numerosæ sunt, ut singularum nominibus recensendis, ne quidem justum volumen sufficeret. Attingam hic famosiores, notioresque. Primò Planta in perfectam, & imperfectam seccatur. Perfectæ dividi solent in Arbores, Frutices, & Herbas. Arbor est planta lignescens, unico caudice (*truncus* dicitur) ad insigniorem proceritatem assurgere nata, ut Quercus, Olea, Ficus. Frutex est planta lignescens, ut Rubus, Avellana, Rosetum. Herba est planta à radice statim foliata, caudice, vel nullo, vel minime ligneo, ut Lactuca. Sylvestres inter Arbores aliæ dicuntur Montanæ, aliæ campestris, aliæ Aquaticæ. Montanæ saltem insigniores dividi possunt in Glandiferas, Coniferas, & Bacciferas. In Glandiferis primatum tenet Esculus, foliis, ramisque insignior. Est præterea Quercus, Suber, Fagus, Castanea. Arbores coniferæ sunt, quarum fructus ad modum coni turbinantur. Inter has præstat Cedrus, in quibusdam locis, sed raris, nascens. Hæc Arborum procerissima, & annosissima est; quæque præ omnibus aliis diutiùs perennet; unde in æternitatis symbolum assumitur. Bacciferas inter recensetur Buxus, comâ semper virenti, ligno præduro: Juniperus foliis aculeatis; Lentiscus, cet. Alias Arborum, Herbarumque species omittere brevitati duco. Tartaricus ille frutex sola quidem forma, eaque suspecta, nobis notus, *Boramez* dictus, crescit, referente Surio, (2) agni figura ad

pe-

(1) 2. Sent. dist. 30.



(2) In Comm. anni 1640.

43  
pedum ferè trium altitudinem, quàm pedibus, unguis, auribus, toto capite, præterquam cornibus, refert. Plura rogatus edifferam, mirabilia certè, quæ de Planta ista adnotarunt Surius, & Scaliger.

## ANIMA SENSITIVA.

### §. LIX.

**D**uplici animæ sensitivæ natura diffinitione explicari solet. Prima est: *Actus primus corporis physici organici*, cet. Secunda: *Id quo primò sentimus*. Mirabiles ab illa facultates oriuntur, quæ nomine *sensus* intelligendæ veniunt. Speciebus sensus indigere, ut objecta percipiant distantia, inficiatur nemo; sed acriter inter Philosophos controvertitur, cujus sint naturæ hujuscemodi species. Non sunt igitur tales species, queis sensatio perficitur, commotiones fibrarum, aut spirituum; nec vana quædam spectra, quibus nihil tale correspondeat in rebus, ut placuit Cartesio; sed formæ intentionales objectorum, quæ sensu percipiuntur; neque illis à natura inditæ, sed ab objectis causatæ, non ut substantialia objectorum effluvia; sed ut accidentales formæ. Sensus externi, ad quos species deforis venientes, primò deferuntur, quinque sunt in animalibus perfectis nulli haud noti; quorum objectum est sensibile singulare, præsens, localiter extensum, in debita distantia. In proprium, commune, & per accidens partitur sensibile; & esto circa proprium sensus per se non fallatur; attamen circa sensibilia communia, & per accidens potest esse occasio fallaciæ. Vulgari Philosophorum opinioni quatuor sensus internos admittenti adhærere æquum duxi. Vocatur appetitus sensitivus impulsus ille vitalis, quo animal se movet ex iis, quæ per sensum apprehendit. Unde diffinitur: *Inclinatio ad bonum per sensus apprehensum*. Sed quia bonum sensibile delectat quidem, nonnunquam tamen in arduo situm est, & difficultatibus circumvallatur; ideo Appetitus sensitivus dividitur in concupiscibilem, & irascibilem, de queis, sicuti de motibus, seu passionibus illorum, verba facere in arena promitto.

## PARVA NATURALIA.

### §. LX.

**P**arva inter naturalia numerantur somnus, & vigilia, longitudo, & brevitæ vitæ, Juventus, & senectus, vita, & mors. Atque ut à somno ordiamur, Empedocles *moderatam sanguinarii caloris refrigerationem* appellavit. Zeno Stoicus, *contractionem, atque lapsum animi*. Plato, *remissionem, & tamquam laxationem spiritus sensibilis*. Leucippus, *excretionem animalis caloris*. Plinius vero, *Animi in medium sese recessum*. Sed quamquam hæ sententiæ quidpiam veri contineant, attamen elegantius Aristoteles (1) somnum describit: *Immobilitatem, seu nodum, ac vinculum sensus*; cum è contra Vigilia fit: *sensus relaxatio, & solutio*. Hujusce re-

la-

---

(1) Lib. de Somn. cap. 1.

laxationis, & nodi causas aperire paratus sum. Longitudo, & Brevitas vitæ in animalibus perinde ac in plantis, ex humidi cum calido temperatione pendet; ita ut his animalibus vita sit longior, in quibus calidum, & humidum ita se habeant, ut & humidum tenax sit, lentum, oleaginosum non subiti, sed durabilis caloris pertinax fomentum; calidum vero robustum, ut facilè non extinguatur. Ea vero sunt brevioris vitæ; in queis hæc duo vitæ principia ab hac contemperatione deflectunt. Ergo collige, insecta esse brevis vitæ, quia constant humore aqueo, qui facile congelascere potest; & eorum calor exilis est, facileque extingui-bilis. Animalia terrena aquatilibus communiter sunt vivaciora; quamquam Delphinos 300. annis vivere dicat Plinius. (1) In avibus passeris sunt brevis vitæ; inter quas Corvus diutissimè vivit. Juventutis, ac Senectutis discrimina ex iisdem principiis pendent, ac vita, humido scilicet, & calido. Placet hic causas nonnullas conservativas juventutis adnotare. Prima est, abstinentia cibi, potus, & venereorum. Secunda: moderatus labor, & temperatum exercitium. Tertia: frequens & moderata lætitia. Senectus opposita juventuti causas pariter oppositas habere debet. Mors à Galeno definitur: *Extinctio caloris innati*, quippe ille individuus vitæ Minister est, quo vigente, viget vita; quo extincto deficit. Mors alia est naturalis, alia violenta. A quo utraque proveniat libenter monstrabo. Verum de his hæc attigisse, pinguique, ut ajunt, Miverva expendisse, sufficiat.

## ANIMA RATIONALIS.

### §. LXI.

**D**E Animæ rationalis natura, ac origine loquuturus, illud ingentè præfari possem, quod olim Cicero variis Philosophorum opinionibus hac in parte accuratè enumeratis, asseruit: *harum sententiarum, quæ vera sit, Deus aliquis viderit, quæ verisimilima magna quaestio est.* (2) Missis Veterum quorundam placitis, vel potius fabulis, Animam rationalem *primum ratiocinandi principium* voco; vel *actus primus corporis physici organici*, cet. Spiritualem ipsam pronuncio; nec mihi opponas Tertullianum, Irenæum, Origenem, aliosque Ecclesiæ Patres, (3) rationalem animam corpoream esse dicentes; in bonum enim sensum eos trahere religioni duco. Immortalem esse docet Fides, convincit ratio, & communis nationum consensus, perpetuaque sæculorum omnium traditio confirmat. Mirabiles ab ipsa profluunt potentiæ, inter quas primitus occurrit intellectus in *practicum*, & *speculativum*, *intelligentiam*, & *discursum* divisus. Dari intellectum agentem à patibili distinctum, ut verus Peripateticus teneo. Pro objecto extensivo patibilis rationem entis in tota sua latitudinæ pono; pro proportionato vero quidditatem rei materialis, seu sensibilis. Heinc adsignabo rationem, cur cognoscere dicatur intellectus per

(1) Lib. 9. cap. 8. & 53.

(2) Tusc. 1. cap. 11.

(3) Apud Corsin. tom. 4. fol. 195.

abstractionem à materia. Ad intellectum sponte veluti sua sequitur voluntas, omne bonum tamquam objectum respiciens. Intellectus absolute præstat voluntati.

## METAPHYSICA.

### ONTOLOGIÆ NATURA, DOTES, objectum.

#### §. LXII.

**P**rimæ Philosophiæ nomen obtinuit Metaphysica, quod non modò cæteras ejus partes dignitate antecedit, sed etiam prima earum principia, supremasque rerum rationes complectatur; adeoque ad illam cæterarum omnium rationes, & principia, veluti rami ad truncum, tandem reducuntur. Quam ob causam cæterarum princeps jure habetur, ac Domina; quod, si quid in earum principiis ambiguum sit, ad supremum ejus tribunal discutiendum, ac confirmandum pertineat. Existit ergo hæc facultas, cujus natura non aliter aptius valet enucleari, quam per esse scientiam, quæ de rebus supra sensum, materiam positis, seu sola mentis acie perceptis, naturali lumine discurrit. Vel: *facultas agens de omni ente, &c.* Immediate procedit per prima, & universalissima principia, ac ex iis evidentè plerasque deducit conclusiones; unde rationem scientiæ obtinet demonstratiuæ. Si finem illius quæras, meram speculationem invenies. In nullo particulari objecto satiata Ens in communi abstractum ab omni materia respicit pro objecto formali; particularia entia sunt ejusdem quasi subjecta materies.

### PRINCIPIA ENTIS CONSTITUTIVA.

#### §. LXIII.

**J**Am ad quæstiones in quibus disputantium Philosophorum exerceri solent ingenia, quæque status entis concernunt, convertor. Entis ergo satis vulgata principia constitutiva sunt actus, & potentia; & quæ alia si sint, ad hæc ut communiora reducuntur; ut genus, & differentia; *esse*, & *essentia*; *natura*, & *subsistentia*. Actus audit apud D. Thomam (1) *perfectio quædam*; unde rem *esse in actu*, est suam habere perfectionem. Multiplicem patitur divisionem; in *purum*, & *impurum*; *essentia*, & *existentia*, *primum*, & *secundum*, *substantialem*, & *accidentalem*. Potentia pariter in *activam*, & *passivam*, *puram*, & *haud puram* secatur. Sed celebrior est, ac ferè Theologis propria divisio in naturalem, & obedientialem; quarum una respicit actum, naturæ viribus proportionatum; alia vero dicitur ad actum, jura naturæ prorsus superantem; & à Deo supra naturæ Leges operante inductum. Inesse creaturis poten-

M

tiam

(1) 1. part. quæst. 5. art. 3.

tiam obedientialem passivam ad actum naturæ vires exedentem, à Deo habendum nequiquam diffitebor; quum Fides doceat, Deum in creaturis agere quædam, quæ jura naturæ superant, ut est suscitatio mortuorum, infusio habituum supernaturalium; neque creaturis negabo, posse à Deo elevari ad effectus naturæ vires exedentes; dummodo illis aliqua virtus intrinseca, seu motio superaddatur; vel per modum transeuntis, ut aqua Baptismi elevatur ad producendam gratiam per modum instrumenti; vel permanentèr, quomodo intellectus creatus per Lumen gloriæ elevatur ad videndum Deum. Ergo sola voluntate Dei, aut ejus cooperatione extrinseca, absque ulla additione virtutis creatura effectus supernaturales producere haud quaquam valet.

## STATUS ENTIS, AC DIVISIONES.

### §. LXIV.

**P**Lura hic agitari solent, quæ ad Theologos maxime spectant, de possibilitate, & cum Omnipotentia possibilium conexione, de futuritione, ac præteritione. Quantum autem Philosopho loqui licet, nonnulla tantum delibabo, ne falcem videar mittere in alienam messem, & propria Theologis usurpare. Duo igitur importat possibilitas rei, & non repugnantiam ex parte ipsius; & potentiam activam ex parte causæ hujus rei effectricis. Ens dicitur absolute, ac primario possibile ex non repugnantia ad essendum; secundariò vero, & respectivè ab Omnipotentia Divina. Impossibile etiam dicitur absolute, ac primario ex repugnantia ad essendum; quum oppositorum opposita debeat esse ratio. *Dicitur aliquid (verba sunt D. Thomæ) absolute possibile, non secundum aliquam potentiam, aut secundum aliquas causas; sed ex sola habitudine terminorum, qui sibi non repugnant.* (1) Notum est inclitam Thomistarum nationem causam futuritionis tribuere Divino Decreto, quo Deus ab æterno decrevit, rem fore tempore determinato; sicuti præteritionis Decreto suspensivo, seu non continuativo conservationis rei. Mihi tamen Divinorum Decretorum naturam & efficaciam ignoranti ab hisce difficultatibus abstinere visum fuit. Dicitur ens existens per existentiam, quæ est ultimum illius complementum, ipsum extra causas adæquatè constituens. Solius Dei proprium est, ut sit suum esse; unde in omni ente finito, & creato essentia reipsa distinguitur ab existentia, ut potentia ab actu suo. Varias Entis divisiones aperiam rogatus.

## PROPRIETATES ENTIS.

### VNITAS, ET DISTINCTIO.

#### §. LXV.

**D**E Entis statibus ad ejusdem proprietates explanandas accedo, monendo prius, eas non esse proprietates físicas, realitèr ab ente

(1) 1. part. quæst. 25. artt. 3. ad 4. & quæst. 46. art. 1. ad 1.



re distinctas, sed quasdam solum notiones, nihil enti extraneum ad-  
dentes, quæ ob id *virtuales*, seu *notionales* dicuntur. Ergo *unum* essentia-  
liter significat entitatem, ut connotat negationem divisionis: unde ali-  
quid positivum in rectò significat, negationem vero in obliquo. Triplex  
præcipue in rebus videtur esse unitas, generica, specifica, numerica; si-  
cuti & distinctio unitati contraria. Esto à pluribus præmaturè tractetur  
in Logicis, opportunius visum est, hucusque differre, quæ de graduum  
Metaphysicorum distinctione controverti solent. Contrariorum cum ea-  
dem sit scientia, congruè agetur de distinctione, unitatis natura præ-  
habita. Variis distinctionum generibus à Scotistis suppositis, celebrem  
suam, quam *formalem* vocant *actualem ex natura rei*, inter gradus Me-  
taphysicos adinvenisse gloriantur distinctionem. Ego vero, quamquam  
cuique Scotistarum impunè existimem, quod distinctionem suam *forma-*  
*lem*, & *ex natura rei* adpelleret, & quod prædicata realiter identifica-  
ta ea distingui asseveret, id tamen proferre haud dubito, talem for-  
malitatum à parte rei distinctionem implicatoriam esse; & inter præ-  
dicata realitèr identificata statui non posse. Neque Societatis Doctori-  
bus est adherendum, qui non aliam, quam *ex parte actus* distinctionem  
agnoscunt. Solum ergo gradus Metaphysici actu in re ante opus intellec-  
tus distinctione virtuali distinguuntur: unde tota illorum distinctio ac-  
tualis fit ab intellectu, distribuyente eandem entitatem virtualiter mul-  
tiplicem in diversas formalitates.

## VERITAS, ET FALSITAS, BONI- tas, & Malitia.

### §. LXVI.

**A**ltera proprietas entis; quæ maximè unitatem consequitur, est ve-  
ritas, *adaquatio nempe rei, & intellectus*. Res enim vera dicitur,  
quatenus adæquatur, aut adæquabilis est intellectui; ac rursus intel-  
lectus verus quatenus adæquatur rebus. Hinc variæ consurgunt veritatis  
divisiones, ut veritas rei, & cognitionis, transcendentalis; & forma-  
lis. Veritas rei, seu transcendentalis est ipsa rei entitas, non præcisè  
sumpta, sed prout dicit ordinem ad intellectum, præcipuè Divinum.  
Veritas formalis, seu cognitionis propriè non est in prima mentis ope-  
ratione, scilicet apprehensione, sed solum in iudicio affirmante, vel  
negante. Quum falsitas veritati opponatur, eam consistere in difformi-  
tate rei, & intellectus perspicuum est. Falsitas formalis in solo iudi-  
cio reperitur. Bonitas tertia entis proprietas non consistit in ipsa entita-  
te rei præcisè sumpta; sed in ipsa, prout dicit ordinem conformitatis  
ad voluntatem, præcipue Divinam. Itidem dividitur Bonum in transcen-  
dens, & morale. Ulterius in Utile, Honestum, & delectabile. Malum  
in Morale, & Metaphysicum. Demum, in nocivum, quod opponi-  
tur utili, in turpe, quod opponitur honesto, & dolorificum, quod  
con-

contrariatur delectabili; de quibus speciatim dicere, non est necesse.

## ACCIDENTIA SPIRITUALIA.

§. LXVII.

**P**Lura hic Author Noster sæpè laudatus Goudinus de Deo, Angelis, Anima separata inculcat, quorum consideratio aliena haud est à Metaphysica, quæ ob id Theologiæ naturalis nomen sibi vindicavit. Quia tamen uberius de his solent pertractare Theologi, ideo ipsis eorum elucidationem relinquimus, & in accidentia spiritualia orationem dirigimus. Horum quædam resident in intellectu, ac virtutes intellectuales vocitantur. Virtus intellectualis, *quæ habitus determinans intellectum ad attingendum infalibiler verum nuncupatur*, dividitur in quinque species, Intelligentiam scilicet, Sapientiam, Scientiam, Prudentiam, & Artem; quarum diffinitiones in agone tradam. Scientia multifariam est, alia est practica, alia speculativa, alia actualis, alia habitualis; una demum subalternans, alia subalternata. Divisos invenio Nostrates in determinando, an hæc in illius absentia scientiæ decore gaudeat? Nec ipsa D. Thomæ verba tam aperta sunt, ut in quamlibet partem opinari dedecet Thomistæ. Quapropter ut Problema propono disputationi. Quamlibet scientiam esse unicum, & indivisibilem habitum, qualitatemque simplicem, negat Thomistarum nemo. Omnes uno ore fatentur, Logicam, exemp. cau., ex pluribus habitibus partialibus neutiquam componi; sed unicum ad omnes conclusiones fat esse. Ex diversitate abstractionis à materia, quam dicit objectum scientificum, diversitas generica scientiarum sumitur; unitas vero specifica sumitur ex unitate principiorum. Hactenus de Metaphysica.

## PHILOSOPHIA MORALIS, SEU ETHICA.

### ETHICÆ NATURA, DOTES, OB- jectum.

§. LXVIII.

**O** Vita Philosophia dux! ò virtutis indagatrix, & expultrix vitiorum! Quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? Tu Urbes peperisti; tu dissipatos homines in societate vitæ convocasti, &c. Hæc Tull. de Philosophia Morali quæ ab Antiquis adpellata fuit *Georgica*, id est *Agricultura Animi*, quod, ut agrorum cultura illos ex se, aut steriles, aut infelicium dumtaxat plantarum feraces, exercendo, curando, artificiosèque tractando, non ornatiores modo efficit, sed utilium, suaviumque fructuum multiplici proventu felices: sic Ethica hu-  
ma-

manum Animum sine cultu rudem; agrestem, squalidum, brutescen-  
tem; horrentemque vitiis; non modo præceptis suis informando, poli-  
torem, mitiorem, ornatioremque efficiat, sed etiam virtutum, quibus  
nihil in humanis exoptabilius, formosiusque existit, uberrimo fructu cu-  
mulatum. Quæ facultas, quam cæteris præstet, satis omnes norunt. Scien-  
tia est, & quidem omnino practica; cujus objectum materiale sunt affec-  
tus, seu actus humani; formale vero est moralitas, cujus tales actus,  
seu affectus sunt capaces: ratio vero sub qua sunt prima principia practica.

## MORUM FINIS ULTIMUS, SIVE *Felicitas.*

### §. LXIX.

**M**orum tractationem cum Aristotele auspicio ab ultimo eorum fi-  
ne, seu felicitate, quia hæc est Scopus, *nobis*, ut ille ait, *tam-  
quam Sagittariis propositus*, ad quem in omnibus collimare debemus: men-  
sura, & regula totius rectitudinis moralis; clavus vitam nostram diri-  
gens; Nauticum Sydus, cui intendendo vitæ cursus ab errore, ac nau-  
fragio liberatur; potius dixerim portum, ad quem hujusce vitæ nos-  
træ navigatio suspirat, & tendit. Necessum omnino judico, dari aliquem  
totius humanæ vitæ finem ultimum, hominemque, quotiescumque hu-  
mano modo operatur, ultimum finem sibi præfigere, haud quaquam du-  
bito. *Ille propter, quem cætera volumus ipsum vero propter se tantum*, est  
finis ultimus. (1) *Impossibile est hominem plures ultimos fines simul habere.*  
(2) Unde homo rationem summi boni, seu finis formalitèr spectati plu-  
ribus rebus tribuere nullatenus quit. Sed quisnam sit iste finis, sive objecti-  
va Beatitudo, quæ hominem felicem reddat, difficile dictu est. In nul-  
la Philosophiæ parte vehementiùs erravere Antiqui, lumine Fidei desti-  
tuti. *Magnam hinc inde pariebantur angustiam eorum præclara ingenia;* (3)  
nec quo se verterent, satis in promptu habebant. Aristoteles ipse in hac  
parte humanum aliquid passus est. Ego vero felicitatem hominis in bo-  
nis creatis consistere negaturus, in divitiis repositam non esse sustineo  
primitùs contra Avaros, quorum avaritiam vocat Paulus, *simulachrorum,  
& idolorum servitutem*. Honores, gloriam, & famam hominem natura-  
liter beatificare inficior contra Antiquitatis dictos Heroas, qui gloriæ,  
& famæ gratia cuncta gerebant. Potestate hominem haud beari adsero  
contra quosdam Politicos, qui summum hominis bonum in principatu col-  
locantes, divina, humanaque huic fini inservire cogunt. Nec audiendi  
sunt Libertini, qui animam immortalem negantes, sola bona corporalia  
agnoscunt, & ut ultimum sectantur finem. Hoc & fecit Mahometes, pa-  
radisum suum ex gulæ, tactusque voluptatibus foedissime confingens. So-  
lum ergo hominis beatitudo, & felicitas in Deo consistit, non tantum  
illa supernaturalis; sed naturalis, de qua Veteres Philosophi unicè soli-  
citi fuere.

(1) Arist. lib. 1. Ethic. & D. Aug. 19. de Civit. Dei. (2) D. 1. 2. q. 1. art. 5. (3) D. Thom. 3. Gen.

50  
**VOLUNTARIUM, ET INVOLUNTARIUM.**

§. LXX.

**D**E fine recta pergimus ad media, queis, velut gressibus intellectualis natura ad beatitudinem suam pergit. Hæc sunt actus morales, bonitatis, & malitiæ capaces; queis ratio voluntarii abs dubio convenire debet. Ergo agendum de voluntario, & ejus opposito involuntario, necessum erit. Est igitur Voluntarium ex Aristotele, *cujus principium est ab intrinseco cum cognitione finis.* (1) Duplex distingui solet violentiæ genus. Alia *sufficiens*, quam vocat S. Thomas *compellentem*; Juristæ absolutam. Alia *insufficiens*, quam adpellat Aquinas *impulsivam*, Juristæ *conditionatam*. Prima penitus Voluntarium perimit, secus secunda. Ignorantia antecedens pariter Voluntarium destruit. Consequens, illius scilicet, de quo ait Scriptura: *nolluit intelligere*, cet. Voluntarium prorsus non tollit. Concomitans vero, sicuti inter antecedentem, & consequentem mediat, ita medio modo se habet, nec causat voluntarium, nec involuntarium. Metus minuit quidem voluntarium, haud tamen omnino tollit: unde actio ex metu facta mixta est ex voluntario, & involuntario; sed cum Aristotele, & D. Thoma adpellanda est simpliciter voluntaria, secundum quid involuntaria. Concupiscentia non tollit, sed potius facit voluntarium. (2) Divisum invenio Voluntarium in perfectum, & imperfectum; quorum primum agentibus intellectualibus proprium est; secundum autem aliquantulum brutis convenire, pueris, amentibus, motibus primo primis inficiari non audeo. Actus ipsi Voluntatis dicuntur voluntarii elicitivè; actus aliarum potentiarum imperativè. Celebrior divisio Voluntarii est in necessarium, & liberum. Necessarium regulatur per judicium determinatum ad unum; liberum per judicium indifferens.

**VOLUNTARIUM LIBERUM, SIVE Libertas.**

§. LXXI.

**T**Otius moralitatis fundamentum, libertatem scilicet discutiendam aggredior, ac paulo accuratiùs, fufiusque examinandam suscipio. Quintuplex recensetur libertatis species. Prima est libertas spontaneitatis, & Libentiæ; secunda Arbitrii, tertia libertas à peccato, quarta à miseria, & pœna, quinta libertas à lege. Nihil speciale circa quatuor Libertatis modos controvertitur; totum difficultatis pondus ad solam Arbitrii libertatem tendit. Num scilicet in sua ratione formali indifferenciam includat? Nobis hic paulisper cum Jansenistis certandum est.  
Adeo

(1) 3. Ethic. cap. 1.

(2) D. Thom. 1. 2. q. 6. art. 7.

Adeo capitaliter repugnat Libertati Arbitrii naturalis ad unum determinatio; & indifferentia ita est de ratione illius; ut quæ voluntas vult ex necessitate suæ naturæ, non vult liberè libertate Arbitrii, sed solum libertate libentiæ & spontaneitatis. Ergo collige solemniter aberrasse Cornelium Jansenium; dum putat, non requiri ad libertatem Arbitrii immunitatem à necessitate; sed sufficere immunitatem à coactione. In his enim, in quibus Voluntas indifferens non est, habebit libertatem spontaneitatis; neutiquam Arbitrii. Sed cum variæ indifferentiæ acceptiones enumerentur, operæ pretium erit indifferentiam ad libertatem Arbitrii requisitam adsignare. Adfirmo ergo indifferentiam objectivam requiri ad libertatem Arbitrii; unde impossibile est, ut voluntas libere libertate Arbitrii feratur in objectum, sibi necessario propositum, ut bonum, & omnimode amabile. *Ad rationem liberi arbitrii non pertinet, ut indeterminatè se habeat ad bonum, & malum.* (2) Ergo indifferentia moralis, seu ad bene, vel male agendum, non est de ratione, sed potius de imperfectione libertatis. Neque postulat Arbitrii libertas indifferentiam contrarietatis; sed sufficit ad illam contradictionis.

## ACTUS HUMANI.

### §. LXXII.

**V**ulgari illa actuum voluntatis divisione in elicitos, & imperatos supposita, de solis elicitis sermonem instituo; cum imperati rationem voluntarii ab illis accipiant. Sex sunt; tres circa finem, totidem circa media. His accedunt ex parte intellectus sex alii dirigentes, quorum tres itidem versantur circa finem, & tres circa media. Horum omnium ordinem, & progressum, dum volueris, monstrabo. Intelligas tamen volo, hanc mutuam dependentiam, progressum, ac ordinem in humanis negotiis servari solitum inter actus intellectus, & voluntatis, locum habere dumtaxat, dum homo prudenter, ratione matura, & non præcipiti festinatione operatur. Primus ergo actus voluntatis, ut ad rem particulariter descendamus, est simplex volitio finis, quæ ita diffinitur: *Simplex voluntatis complacentia in bono per intellectum presentato.* Secundus est intentio, quæ mihi est: *efficax voluntatis tendentia in finem per media consequendum.* Tertius est consilium; *inquisitio, seu deliberatio de mediis eligendis.* Ad hunc actum intellectus subsequitur in voluntate consensus; *approbatio nempe eorum, quibus intellectus assentitur, tamquam utilibus.* Electio est *unius præ alio discretiva quadam acceptatio.* Imperium est *ordinativa intimatio, qua intellectus efficaciter movet ad agendum.* Usus, applicatio rei ad operationem. Fruitio demum, *quies, & delectatio in fine, & bono presenti.* Hæc circa Voluntatis actus, & intellectus delibasse sufficiat; reliqua, quæ circa hoc moralitatis negotium exagitati solent, Theologis relinquamus.

VIR-

(1) In 2. Sent. Dist. 25. q. 2. art. 1. ad 2.

# VIRTUTES , ET VITIA.

§. LXXIII.

QUM celebre , atque pulcherrimum Virtutis nomen variis plerumque rebus explicandis adhiberi consueverit , ne ex ipso virtutis nomine obscuritas , & ambiguitas oriatur , iuvenit primitus vocem ipsam exponere , dein virtutis naturam contemplari. Sonat igitur Virtus *perfectio quadam animi* ; quia tamen Animus duabus præcipue partibus constare videtur , intellectu nempe , & voluntate ; merito virtus alia est intellectualis, alia moralis. Hæc (de illa satis in Metaphysica) explicatur à D. Thoma ex Aug. : *Bona qualitas mentis, qua rectè vivitur, qua nemo male utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur.* Hinc rectè deducitur , quod virtute morali nemo per se abuti potest. Nedum intellectum practicum, & voluntatem , sed appetitum itidem sensitivum subjectum Moralis virtutis agnosco. Virtus moralis vulgo , & rectè dividitur in Prudentiam, Justitiam, Fortitudinem, ac Temperantiam. Hæ dicuntur *Cardinales*, quia his, veluti Cardinibus omnis bona, honestaque vita vertatur. Facile erit ex natura virtutis in Vitii naturam cognoscendam devenire , quum unum per aliud innotescat contrarium. Ergo vitium erit : *Mala qualitas Mentis, qua male vivitur, & non benè utitur.* Nonnullas Vitii divisiones tradam rogatus. Causæ vitiorum , cum sint variæ , ad duas classes reduci possunt, extrinsecas scilicet , & intrinsecas. Inter illas primum obtinet locum malignus genius tentans, instigans, concupiscentiam inflammans. Secundo, occasiones , & objecta sollicitantia. Tertio, pravi homines, qui verbis factis, exemplisque alios ad iniquitatem trahunt. Intrinsecæ sunt ignorantia, quæ lumen rationis dirigentis extinguit ; malitia voluntatis ; & passio sollicitans voluntatem , & excæcans rationem. Peccatum est propriè actus à vitioso habitu elicitus , & diffinitur à S. Aug. *dictum, factum, vel concupitum contra Legem Dei æternam.* Cætera , quæ de virtutibus in particulari, de passionibus ad Æthicam pertinere videntur , libenter , prolixitatis vitandæ causa , ad Theologos remittimus. Demum finem operi impono cum Martialis Epigram. 124.

*Non cuivis Lectori, Auditorive placebo,  
Lector, & Auditor nec mihi quisque placet.*

L. D. O. M.

*Vidit Alona in Conv. SS. Rosarii die 21. Aprilis 1766.*

*Fr. Joannes Baptista Galbis, Præsen. & Stud. Regens.*

Jhs. Imprimatur.  
Mayoral, Vic. Gen.

Imprimase.  
Caro.





LIBER PRIMUS DE VITIIS

DE VITIIS

Faint, illegible text in a classical or Latin style, possibly a preface or introductory chapter. The text is too faded to transcribe accurately but appears to be a formal address or introduction.

Non enim Liberi, sed Liberos plane,  
Liber, & Liber ut vultu patet.

L. D. G. M.

Faint text, likely a date or a reference to a specific work or event.

Faint text, possibly a signature or a name.

Faint text, possibly a name or a title.





